LEX NATURALIS

sive

DIVINA

in

RELATIONE

ad

RELIGIONEM et LIBERTATEM

iuxta

THOMAM HOBBES

MALMESBURIENSEM.

DISSERTATIO

Quam ad Philosophiae Doctoris gradum obtinendum
In Universitate Friburgensi Helvetiorum

CONSCRIPSIT
CASIMIRUS MATULAITIS.

1924 m.
„Šešupės“ Knygyno Spaustuvė Mariampolėje.

LEX NATURALIS

sive

DIVINA

in

RELATIONE

ad

RELIGIONEM et LIBERTATEM

iuxta

THOMAM HOBBES

MALMESBURIENSEM.

DISSERTATIO

Quam ad Philosophiae Doctoris gradum obtinendum
In Universitate Friburgensi Helvetiorum

CONSCRIPSIT

CASIMIRUS MATULAITIS.

1924 m.
„Šešupės“ Knygyno Spaustuvė Mariampolėje.

Prologus.

Quam magni momenti sit Thomae Hobbesii Ma mesburiensis (1588-1679) philosophia pro evolutione scientiarum tum physicarum, tum psychicarum, moralium, religiosarum et politicarum iam ex eo colligere possumus, quod ipsius senten- tiae etiam nostris diebus promulgantur et ad locorum circumstan- tias plus minusque accommodatae tum sub forma materialismi diversarum specierum, tum sub forma abstracta absolutismi status civilis ubique locorum vigent; quamvis harum sententiarum auc tor scientiarum tantum cultoribus cognitus sit, confiteri debemus, ipsum in philosophiam „modernam" influxum quam maximum habere. Quem enim latet sententias: „Homo homini lupus" et „Homo homini Deus", quae nostris diebus in philosophia vitae effata aurea facta sunt, — iam fere ante tria saecula non solum- modo prolatas, sed in philosophia Hobbesii velut fundamentum positas esse.

De ipsius philosophia iam plures auctores tractaverunt, sicut R. Cumberland, Ferd. Tonnies, G. Lyon, Leslie Stephen, G. C. Robertson et alii, sed fundamenta quibus philosophia Hobbesii nititur minus sufficienter indicaverunt; circa ea vero quae religiosam et moralem partem ipsius philosophiae attinent, opiniones quam maxime contrariae existunt, quas simul veras esse non posse omnibus pro certo constat. Etenim absque hac con- sideratione, discrepantias quae in citatis auctoribus inveniuntur evitare, ad philosophiae Hobbesianae suprema principia ascende- re eiusque mentem recte comprehendere impossibile est.

Consilio clarissimi Professoris mei R. P. A. Rohner, O. P. — cui hic gratias ago maximas, hanc philosophiae Hobbesii par- tem, quae hucusque neglecta erat, illuminandam mihi proposui, sperans, futurum esse ut huius argumenti explanatione studiosis philosophiae aliquantulum prodessem.

Auctor.

Fontes.

a. Opera Thomae Hobbesii.

„Thomae Hobbes malmesburiensis Opera Philosophica, Quae Latine scripsit Omnia. Ante quidem per partes, nunc autem post cognitas omnium Objectiones, conjunctim et accuratius Edita. Amstelodami, Apud Joannem Blaev, M DC LXVIII.“

In hac editione continentur ea omnia quae pro nostra quaestione elaboranda necessaria sunt. Amplectitur dicta editio sequentia opera:

1. Elementorum Philosophiae Sectio prima. De Corpore:
   - a. Computatio sive Logica — c. c. 1-6.
   - b. Philosophia prima — „ „ 7-14.
   - c. De Rationibus Motuum et Magnitudinum — „ „ 15-24.
   - d. Physica sive de Natura Phenomenis — „ „ 25-30.
2. Elementorum Philosophiae Sectio secunda. De Homine.
3. Elementorum Philosophiae Sectio tertia. De Cive:
   - a. Libertas — c. c. 1 - 4.
   - b. Imperium — „ „ 5 - 14.
   - c. Religio — „ „ 15-18.
4. Examinatio et Emendatio Mathematicae hodiernae...
5. Dialogus Physicus de Natura Aeris...
6. Problemata Physica..
7. De Principiis et Ratiocinatione Geometrorum..
8. Leviathan sive De Materia, Forma, et Potestate Civitatis Ecclesiasticae et Civilis:
   - Pars I. De Homine — c. c. 1-16.
   - „ „ II. De Civitate — „ „ 17-31.
   - „ „ III. De Civitate Christiana — „ „ 32-43.
   - „ „ IV. De Regno Tenebrarum — „ „ 44-47.
9. Appendix. (ad Leviathan):
   - Cap. I. De Symbolo Niceno.
   - „ „ II. De Haeresi.
   - „ „ III. De quibusdam Objectionibus contra Leviathan

b. Opera de doctrina Thomae Hobbesii tractantia:

1. R(ichard) B(lacburne): „Th. H. Angli Malmesburiensis Vita“ Carolopoli apud Eleutherium Anglianum. 1681.
2. J. C. Bluntschli: „Geschichte des allgemeinen Staatsrechts und der Politik“.. München, 1864, p. 92-101.
3. Ric. Cumberland: „De legibus naturae disquisitio philosophica.. Editio secunda. Lubecae et Francofurti. 1683 p. 420.
4. D. P. J. A. Feuerbach. „Anti-Hobbes“ I.B. Erfurt, 1798.p.301
5. Lud. Feuerbach „Gesch. d. Neueren Philos“. Stuttgart, 1906. p. 77- 110.
6. Kuno Fischer „Francis Bacon und seine Nachfolger“, Leipzig, 1875, p. 517-544.
7. Gust. Hartenstein „De notionum juris et civitatis, quas Ben. Spinoza et Thomas Hobbesius proponunt similitudine et dissimilitudine“, Lipsiae, diss. I, 1856, p. 16;
   „ „ II, 1857, p. 16.
8. Th. Linderer. „Weltgeschichte“ Stuttgart u. Berlin, 1909, VI, B.
9. Georges Lyon. „La philosophie de Hobbes“. Paris, 1893, p. 220.
10. G. Cr.om Robertson. „Hobbes“ Edinburgh and London, 1886, p. 240.
11. Gaston Sortais, S. J. „La philosophie moderne depuis Bacon jusqu'a Leibnitz“ T. II, 1922, Paris p. 270-552.
12. Alb. Richard. „Des sources du despotisme“. Fribourg, 1871, p. 22.
13. Leslie Stephen. „Hobbes“. London, 1904(?) p. 243.
14. Dr. Alb. Stockl. „Geschichte d. neueren Philos“. I. B. Mainz, 1883, p. 34-69.
15. Ferd. Tönnies „Thomas Hobbes. Der Mann und der Denker“, Stuttgart 2 (sine anni indicatione) p. 249.
16. Ferdin. Tönnies. „Hobbes. Leben und Lehre“. Stuttgart, 1896, xvii p. 232.
17. Fr. Ueberweg. „Geschichte d. Philos. Der Neuzeit“. Berlin, II 1914, p. 105-114.
18. Karl Vorländer. „Geschichte d. Philos. II B. Phil. d. Neuzeit“. Leipzig, 1908.

Introductio.

Principia philosophiae Hobbesii non facile concipiuntur, nam in eius doctrina tum speculativa tum practica adsunt diversae difficultates, quae prima fronte ob internas contradictiones super quas enumerati in fontibus auctores sese offendunt, indissolubiles apparent. Has tamen difficultates investigare, ipsasque impugnare nobis in animo non est, cum ipsas apparentes dixerimus, cumque in nostro opere explicite vel implicite solvantur: hic potius tres difficultates, ipsius philosophiae magis proprias, indicare necessarium duco. Harum prima ad Deum spectat. Sumamus verba ipsius philosophi. „Agnitio, ait, Unici, Aeterni, Infiniti, Omnipotentis Dei ab investigatione causarum, Virtutum operationumque corporum naturalium, quam a Cura futuri temporis, facilius derivari potuit" [1]) Nihilominus hic Deus Hobbesii, quamvis aeternus, magnitudine praeditus est, imo corporeus est: „Magnus est Deus sed magnitudinem intelligere sine corpore impossibile est." [2]) Et tamen ipse in diversis locis contra atheos acriter arguit, v. gr. „Quia.. atheus jure-jurando obligari non potest, a Republica obligari debet, non ut contumax, sed ut nocumentum publicum." [3]) Secunda difficultas ad quaestionem de universo attinet. „Qui mundum non creatum, sed aeternum esse asserunt, quoniam aeterni causa esse non potest, causam mundi id est, Deum esse negare." [4]) Ita Hobbes, attamen alio loco aeternitatem motus expresse asserit: „non tamen infertur id quod inferre solent, nempe aeternum immobile, sed contra aeternum Motum". [5]) Sed aeternus motus absque aliquo quod moveatur intelligi nequit. Proinde stat difficultas.

Sumamus demum tertiam difficultatem quae oboedientiam civilem attinet. Hobbes docet omnes et in omnibus legi civili subditos esse et non oboedientes contra legem naturalem immo contra Deum ipsum legis naturalis auctorem peccare. [6])

---

[1]) Leviathan cap. 12. p. 55.
[2]) Appendix ad Lev. c. 3. p. 361.
[3]) App. ib. c. 2. p. 352. cf. De. Cive c. 15. a. 18, p. 122.
[4]) De Cive c. 15· a. 14, p. 117.
[5]) Physica c. 26. a. I. p. 204.
[6]) cf. De Cive, c. 14. a. 23. p. 110; ib. c. 6. a. 13. p. 44.

Tamen alio loco docet: „Quidquid autem si multi simul, contra civitatis potestatem Summam crimen aliquod commiserint capitale propter quod nisi se defendant, exspectant mortem, quaeret aliquis utrum Libertatem illi conjunctis viribus se mutuo defendendi habeant. Habent certe". [1]) Sed determinare utrum in hoc sanctio rebellionis lateat an non et quomodo haec sententia cum absoluta oboedientia legi civili concordet, non parva difficultas apparet. Ad solvendas has et omnes alias difficultates quae ex confusione legis naturalis et divinae proveniunt, fundamenta philosophiae Hobbesii inspicienda sunt. Haec vero in nostro opere sequenti modo exponuntur:

Divisio tractatus.

Tota quaestio „Lex naturalis sive divina in relatione ad religionem et libertatem iuxta Thomam Hobbes" dividitur in duas partes quae in sex capita disperguntur.

Pars prima. Lex naturalis sive divina.

Cap. I. **Lex naturalis.** 1. principium quantitativum naturae. 2. Motus aeternus. 3. De mundo. 4. Evolutio motus. 5. Lex naturalis. 6. Quotuplex sit lex naturalis.

Cap. II. **Lex divina.** 1. Quid sit Deus iuxta Hobbesium. 2. Lex divina. 3. In quantum lex divina sit lex naturalis.

Pars secunda. De religione et libertate humana.

Cap. III. **Religio et libertas in statu naturali.** 1. Religio naturalis. 2. Cultus religionis naturalis. 3. Libertas individualis illimitata.

Cap. IV. **Religio et libertas in statu sociali.** 1. Religio positiva per pactum vetus. 2. Religio positiva per pactum novum. 3. Libertas socialis.

Cap. V. **Religio et libertas in statu civili.** 1. Religionis civilis origo eiusque auctoritas. 2. Libertas civium in civitate.

Cap. VI. **Status libertatis perfectae sive via ad absolutismum democraticum irreligiosum:** 1. De absolutismo potestatis civilis. 2. Via ad democratismum. 3. Via ad liberalismum democraticum absolutum.

---

[1]) Lev. c. 21. p. 109.

Pars prima.

Lex naturalis sive divina.

Caput I, **Lex naturalis.**

Status quaestionis. Lex naturalis iuxta Hobbesium est fons unicus totius evolutionis rationis humanae tum in statu naturali et sociali, tum in statu civili, ipsamque cum lege divina eandem esse vult asserendo leges naturales omnes divinas esse, [1]) et vocari: „quae Naturalis eadem et Divina lex appellari solet.“ [2]) Haec assimilatio naturalis et divinae legis apud Hobbesium nullam contradictionem involvit, imo est necessaria consequentia doctrinae de natura universi, quam rursus vult eamdem esse ac ipsum Deum, ut infra demonstrabitur. In hoc igitur capite ante omnia de natura universi et de lege naturali agendum est et quidem ordine sequenti:

Divisio. I. Principium quantitativum naturae. 2. Motus aeternus. 3. De mundo. 4. Evolutio motus. 5. Lex naturalis. 6. Quotuplex sit lex naturalis.

In hac quaestione his operibus Hobbesii usus sum:

1. Logica cc. 1, 3, 6.
2. Philosophia prima cc. 7, 8, 10.
3. Physica cc. 25, 26.
4. De Homine cc. 10, 11, 12, 13, 14.
5. De Cive cc. 1, 2, 3, 4, 5, 13, 14, 15.
6. Leviathan cc. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 36, 45, 46.
7. Appendix ad Leviathan cc. 1, 3.

1) cf. Lev c. 26, p. 135—6.
2) De Cive C. 4. a. 1. p. 28.

1. Principium quantitativum naturae.

Praenotamen. Natura ab Hobbesio duplici modo consideratur: a) qua snbstantialis essentia universi, b) qua participata natura individualis et humana. Ista vero natura individualis humana, quam Hobbes fontem omnis legis dicit, etsi communis in singulis remaneat, tamen per rationem „computativam" maior, maiorque individualisata et differentiata in singulis fit. Sed cum natura humana singularis sit participatio naturae communis seu universalis, — natura universi, i. e. substantialis essentia universi et principia constitutiva substantialis essentiae rerum ante omnia inspicienda sunt, nempe principium quantitativum et principium efficiens esse, i. e. existentiae, substantialis essentiae rerum.

Materia prima. Antequam ad definitionem materiae primae aggrediamur, quid iuxta Hobbesium sit corpus et quid accidens videndum est. „Corpus, ait, est quicquid non dependens a nostra cogitatione cum spatii parte aliqua coincidit, vel coextenditur." [1]) Accidens iuxta illum non est aliud nisi „esse concipiendi corporis modum." [2]) Et alio loco docet:" Accidens autem propter quod corpori alicui certum nomen imponimus, sive Accidens quod subjectum suum denominat, **Essentia** dici solet, ut rationalitas Hominis; Albedo Albi; Existentia corporis dicitur **Essentia.** Eadem Essentia quatenus generata, **Forma** dicitur. Corpus rursus respectu cuiuslibet accidentis sui, vocatur subjectum. Respectu **Formae** materia nominatur." [3]) Quid autem materia prima seu principium quantitativum substantialis essentiae corporis iuxta ipsum? Pro ipso materia prima est, „merum nomen non tamen frustra usurpatum". [4]) Quod sequenti modo explicat". Significat enim (materia prima), corpus considerari sine consideratione cujuscunque Formae et cujuscunque Accidentis, excepta solummodo magnitudine, sive extensione, et aptitudine ad formam et accidentia recipienda; ita ut si quoties opus est uti hac voce, **Corpus**

---

[1]) Phil. pr. c. 8. a. P, 55.

[2]) Phil. pr. l. c.

[3]) ibid. C. 8. a. 23. p. 62-3.

[4]) Ib. l. c.

generaliter sumptum, utamur hac **Materia prima** recte fecerimus." [1]) Manifestum est, Hobbesium concepisse materiam primam non solummodo aptam esse ad formam accipiendam, sed etiam affirmasse eam „magnitudine sive extensione", i. e. accidentibus praeditam esse.

2. Motus aeternus.

Secundum principium substantialis essentiae rerum, nempe principium efficiens et formale iuxta Hobbesium est motus et quidem universalis et aeternus. Ex diversa activitate motus materia prima seu „corpus generaliter sumptum" diversam formam et activitatem recipit, totam evolutionem universi, vitam vegetativam, sensitivam et intellectualem in se continet et cum materia prima essentiam i. e. naturam universi constituit. Sed cum „motus sit loci unius privatio et alterius acquisitio", [2]) locus vero spatium quod a corpore impletur, [3]) et insuper spatium duplex concipitur, nempe reale et imaginarium, quid iuxta Hobbesium sit spatium reale imprimis quaerendum est. Spatium reale non est aliud nisi magnitudo seu extensio corporis, [4]) dicitur vero reale, quia non dependet a cogitatione nostra sicut spatium imaginarium, quod est effectus illius causam habens quantitatem seu magnitudinem corporis. [5]) Spatium vero imaginarium sic describitur ab Hobbesio. „Iam si meminerimus, seu Phantasma habuerimus alicujus rei quae extiterat ante suppositam rerum externarum sublationem, nec considerare velimus qualis ea res erat, sed simpliciter quod erat extra animum, habemus id quod appellamus **Spatium,** imaginarium quidem, quia merum Phantasma, sed tamen illud ipsum quod ab omnibus sic appellatur." [6]) Et definitur: **„Spatium est Phantasma rei existentis, quatenus existentis,** id est, nullo alio eius rei accidente considerato praeterquam quod apparet extra imaginem." [7]) Ut hanc quaestionem recte intelligamus etiam distinctionem Hobbesii inter locum et locatum debemus animadvertere. Dum „spatium.. imaginarium cum

---

[1]) Phil. pr. c. 8. a. 23. p. 63.
[2]) Log. c. 6. a. 6. p. 38; Phil. pr. c. 8. a. 10. p. 58.
[3]) Phil. pr. C. 8. a. 5. p. 56.
[4]) Phil. pr. c. 8. A. 4.
[5]) Phil. pr. l. c.
[6]) Phil. pr. c. 7. a. 2. p. 50.
[7]) Ibid. l. c.

corporis cujuscunque magnitudine coincidit, illius corporis vocatur **Locus**;.. corpus ipsum **Locatum** dicitur". [1])

Ex his patet, magnitudinem seu quantitatem intrinsecum principium motus esse. Ista quantitas, considerata in ordine ad universum, i. e. quatenus apta ad formam et accidentia recipienda est universalis, communis et proinde materia prima appellatur. [2]) Materia prima vero, secundum Hobbesium, merum nomen est, quia neque res aliqua effecta est, neque in argumentatione adhibetur, [3]) nihilominus ipsa quantitas per acquisitionem alicuius formae est principium constitutivum universi. Acquisitio vero alicuius formae a quantitate nihil aliud est nisi mutatio aliqua, seu unius loci „relictio" et alterius „acquisitio", quod est aliquis motus. Et dum Hobbes ex una parte tempus et quidem absolutum qua motus phantasma considerat, [4]) dum ex altera parte experientia docet, nullam universalem deformatam quantitatem in rerum natura esse, necessario sequitur pro Hobbesio motum ut est principium efficiens esse, i. e. existentiae, naturae rerum, ante omne tempus esse, et proinde ab aeterno. Hobbes adhuc habet et aliud argumentum pro aeternitate motus: „etsi ex eo, ait, quod nihil potest movere seipsum, satis recte infertur primum aliquod esse movens, quod fuerit aeternum, non tamen infertur id quod inferre solent, nempe aeternum immobile, sed contra aeternum Motum; siquidem ut verum est nihil moveri a seipso, ita etiam verum, nihil moveri nisi a moto". [5]) In his ipsius doctrina de aeternitate motus continetur. Sed supposito motu aeterno, aeternitas naturae necesse est ut supponatur, quae, si consideratur qua ultima causa rerum universi, attento ipsius principio „movens incorporeum nullum est", [6]) et doctrina de corporeitate Dei, [7]) de qua fusius capite secundo agitur, identificatur a Hobbesio cum Deo.

---

1) Phil. pr. c. 8. a. 5. P, 56.
2) Ibid. c. 8. a. 24. p. 63.
3) Ibid. l. c.
4) cf. ibid. c. 7. a. 3. p. 51.
5) Phys. C. 26. a. I. p. 204.
6) Phys. ib. a. 7. p. 213.
7) cf. App. ad. Lev. c. 3. p. 360, 361; Lev. c. 46. p. 316.

3. De mundo.

De mundo seu universo, ut de uno multarum partium aggregato, secundum Hobbesium ea, „quae quaeri possunt paucissima sunt, quae determinari nulla.“ [1]) Quid igitur de mundo quaerere possumus? „Quaeri quidem potest totus mundus quantus, quam diuturnus et quotus sit, sed aliud nihil. Nam Locus quidem et Tempus, id est, Magnitudo et Duratio corporis simpliciter dicti, id est indefinite sumpti sunt Phantasmata,“ [2]) et ulterius, „caetera autem Phantasmata omnia sunt corporum sive objectorum suorum inter se distinctorum.“ [3])

De mundo proinde iuxta illum solummodo tres quaestiones dantur: a) quantus, b) quotus, c) quam diuturnus sit mundus. a. „De magnitudine mundi quaestiones sunt, an Finitus an Infinitus; plenus an non plenus? etsi de numero, si mundus magnitudine infinitus fuerit, controversia nulla esse potest. Item si inceperit a qua causa et qua materia factus fuerit? rursusque de illa causa et materia unde extiterint, novae erunt quaestiones donec perveniatur ad causam aliquam aeternam unam vel plures.“ [4]) De magnitudine mundi loquentes quaerere possumus utrum mundus sit finitus, an infinitus, plenus an non plenus; sed hic statim quaestio oritur: utrum iuxta Hobbesium in hac quaestione aliquid scire vel determinare possimus an non. Hobbes respondet negative, nam ipse scientiam meram consequentiarum cognitionem esse putat, quae non absoluta, sed tantum conditionalis esset. „Nemo per Discursum scire potest **hoc vel aliud esse, fuisse, vel futurum esse** id quod est perfecte scire; sed tantum, **si hoc sit, tum illud est, si hoc fuit tum fuit illud; si hoc erit, tum illud erit;** id quod est scire conditionaliter“. [5]) Hic Hobbes nominalismi dotrinis ductus stricte dialectice procedit, quia pro ipso universalia neque existunt formaliter in consideratione mentis nostrae, neque potentialiter in rebus sensibilibus realiter existentibus continentur, neque ut universale metaphysicum ipsam quidditatem exprimunt, sed sunt pura nomina quae non ideas universales, sed tantummodo imaginem genericam (communem)

---

[1]) Phys. c. 26. a. I. p. 203.
[2]) Phys. l. c.; Phil. pr. c. 7. a. 2. p. 50; et ibid. aa. 3, 4, 5, 6. p. 51.
[3]) Phys. l. c. cf. Phil. pr. C, 7. a. 2. p. 50.
[4]) Phys. l. c. p. 204.
[5]) Lev. c. 7. p. 33.

indicant. „Nomina alia sunt singularibus rebus propria, docet Hobbes, alia pluribus rebus communia, **Nomen** autem **commune,** cum sit plurium rerum sigillatim sumptorum nomen... vocatur ob eam rem **Universale.** Est ergo nomen hoc **Universale,** non rei alicuius existentis in rerum natura neque ideae, sive Phantasmatis alicuius in animo formati, sed alicuius semper vocis sive nominis Nomen.“ [1]) Per consequens „Nihil.. in rerum natura universale est, praeter rerum vocabula; nam res nominatae sunt omnes Individuae et singulares.“ [2]) Ex his apparet eum in via ad neganda prima principia (contradictionis, identitatis, exclusi tertii, causalitatis) esse, quae negatio ad scepticismum ducit: et revera nullam scientiam perfectam, sed solummodo conditionalem dari recte concludit, [3]) quia nomina, iuxta illum, sunt arbitraria, et scientia necessario proinde existit in „cognitione consequentiarum unius verbi ad aliud.“ [4]) Haec nobis clarius patebunt si recordamur, ab Hobbesio nullam ideam prout ab Aristotele exponitur admitti (etsi istae apud ipsum inveniantur), sed e contra eas idem ac imaginem esse vult et dum utitur vocabulo „idea“ semper addit „seu phantasma,“ et proinde ipsius ideam esse idem ac imaginem semper comprehendere debemus. „Idea omnis, ait, et una est, et unius rei,“ [5]) et proinde **„errant qui dicunt Ideam alicujus rei esse Universale“** [6]). His positis, ad solvendam quaestionem de magnitudine vel infinitate mundi prout ab Hobbesio exponitur procedamus. Sed cum pro ipso scientia omnis „idea“ seu phantasmate alicuius obiecti nitatur, „quidquid homines scimus a Phantasmatis nostris didicimus,“ [7]) i. e. cum sola phantasmata sint fontes omnis scientiae, necessario sequitur quaestionem de magnitudine vel infinitate mundi tantum mathematice solvi posse. Et propterea si datur imago mundi, mundus est finitus, si non datur, mundus est infinitus. Sed mundi imago seu phantasma non datur, propterea neque scientia de eius magnitudine, et in hac quaestione sicut et in aliis tantum „possumus scire, quantum quaeri.“ [8]) Est ergo mundus infinitus. Ratio est, quia „Phantasma Infiniti, sive magnitudine sive

---

1) Log. c. 2, a. 9. p. 10.
2) Lev. c. 4. p. 15.
3) cf. Lev. c. 7. p. 33.
4) Lev. 1. c.
5) Log. c. 5. a. 8. p. 33.
6) Log. ib. 1. c. cf. Phil. pr. c7. a. 1. p. 49.
7) Phys, c. 26. a. 1. p. 204.
8) Phys. 1. c.

tempore, nullum est, neque enim homo neque ulla alia res, praeterquam ipsa infinita sit, infiniti conceptionem ullam habere potest; neque si quis ab effectu quocunque ad causam eius immediatam, atque inde ad remotiorem et sic perpetuo, ratiocinatione rectissima ascenderit, non tamen in aeternum procedere poterit, sed defatigatus aliquando deficiet, et quidem an ulterius progredi potuerit, necne, nescimus," [1]) „infiniti (enim) scientia finito quaesitori inaccessibilis" est. [2]) Si expresse quaeramus, utrum mundus finitus an infinitus sit, responsum tacitum pro mundi infinitate dabit, at quaestionem aperte non solvit, sed eam relinquit dicens:„ Neque absurdi sequetur quicquam sive finitus sive intinitus mundus statuatur, cum utrumvis statuisset mundi opifex". [3])

b. De numero mundi. Utrum unus an plures mundi dentur determinari nequit nisi prius alia quaestio solvatur, i. e. utrum mundus plenus an non plenus sit, quod est idem ac quaerere utrum in mundo vacuum detur an non. Possumusne iuxta Hobbesium in hac quaestione aliquid cognoscere vel determinare? Cum Hobbesius nullum vacuum in mundo admittat, [4]) immo mundum plenum et immensum credat, [5]) eo ipso et haec quaestio de mundi numero solvitur. Nam si mundus mugnitudine infinitus est, patet, impossibile esse duo infinita dari, quia ambo tunc infinita non essent sed finita, quod de mundo dici nequit, qui, iuxta Hobbesium, immensus, plenus ac infinitus est mundus et propterea unus.

c. De duratione mundi. In hac quaestione unum tantum quaerimus utrum mundus inceperit, an sit aeternus. Sed antequam huic quaestioni solvendae nos accingamus ad praecipuae quaestionis solutionem de valore nostrae scientiae memoriam revocemus i. e. ad ea quae initio quaestionis de magnitudine mundi dicta sunt, nempe: scientiam nostram non esse perfectam sed conditionalem et dependentem a phantasmatibus nostris: „Quicquid .. scimus a Phantasmatibus nostris didicimus". [6]) Quoniam autem nulla imago de initio vel aeternitate mundi dari potest,

---

1) Phys. c. 26 a. 1. p, 204.
2) Phys, ib. 1, c.
3) Phys. 1. c.
4) cf. Phys. C. 26. aa. 1, 3. pp. 205, 206, 207.
5) cf. Phys. c. 26 aa. 4, 5. pp. 208, 210, 211., Phil. pr. c. 7. a, 12 p. 53.
6) Phys. L. c. p. 204,

propterea iam a priori asseri potest hanc quaestionem ab Hobbesio expresse solutam non esse, quod et ipse asserit dicens,: „Illos.. qui mundi originem demonstrasse se jactitant laudare non possum". [1]) „Causa est, quod simul ac vocibus **Infiniti** et **Aeterni**, quibus rei nullius substernitur in animo, praeter ipsius comprehensionis propriae defectum, idea, irretiti sunt, aut absurdi aliquid dicendum est, aut.. tacendum". [2]) Si quaeramus, quid Hobbesius dialectice procedendo in hac quaestione docere debuerit cum neque initii mundi, neque aeternitatis eius imago detur, respondi debet: non exclusa possibilitate aeternitatis mundi, initium tamen mundus habet. Et revera in solutione obiectionis contra aeternitatem mundi, huius aeternitatis possibilitas saltem tacite asseritur, — prout ex allata obiectione patebit. „Si mundus ab aeterno erat, tunc numerus dierum.. infinitus natalem Abrahami antecessit. Sed nativitas Abrahami antecessit nativitatem Isaaci. Infinitus ergo infinito, sive aeternum aeterno majus: quod.. absurdum est." [3]) Ad haec Hobbesius respondet: „Nonne qui aeternitatem mundi sic tollunt, eadem opera etiam mundi conditoris aeternitatem tollunt?" [4]) Ex Hobbesii verbis: „Neque absurdi sequetur quicquam sive finitus sive infinitus mundus statuatur, cum utrumvis statuisset mundi opifex",[5]) quae iam citata sunt, patet eum hoc loco magis mundi initium quam aeternitatem eius asserere. Attamen ad demonstrandum mundum initium habere ipse Sacrae Scripturae verbis utitur. Sed quid ista argumenta valeant, solummodo postquam eius doctrinam de Deo et S. Scriptura statuerimus, asserere licebit. Ipse quidem ne adversariis quod aeternitati mundi consentiat, accusandi occasio detur, addit: „Quaestiones igitur de Infinito et Aeterno sciens praetereo, contentus ea doctrina circa mundi magnitudinem et originem quam suaserint Scripturae Sacrae, et quae illas confirmat miraculorum fama et Mos patrius et Legum reverentia debita"; [6]) proinde: „quaestiones de Magnitudine et Origine mundi, non a Philosophis sed ab iis qui ordinando Dei cultu legitime praesunt determinandas esse". [7]) Isti vero qui ordinando Dei cultu legitime praesunt sunt ii, qui in re publica summa potestate pollent et quorum, iuxta Hobbesium, ius et officium est doctrinas discernere; „doctrinarum judicium, utrum oboedientiae

---

[1]) Phys. C. 26. p. 204, [2]) ibid. p. 205; [3]) ib. p. 204; [4]) ib. p. 205.
[5]) ib. 204. [6]) ib. p. 205. [7]) ib. p. 204.

civili repugnent necne, et siquidem repugnent, potestatem prohibendi ne doceantur, imperio civili hic attribuo". [1]) Sed futurum esse, ut mundus in aeternum duret, ex eius doctrina de „coelo" dum est quomodo iuxta Hobbesium haec natura universalis, aeterna et divina varietur in omnibus rebus cum motuum varietate, seu „de regno Christi", quod erit in terra, [2]) facile infertur, nam et ipse dicit: „post mundum, mundus futurus, ille (sit), in quo Terra nova et Coeli erunt novi. [3]) Haec in quaestione de natura universi, ipsiusque proprietatibus sufficere arbitror. Nunc autem consideran- „nam et figurarum omnium varietas ex varietate oritur motuum quibus construuntur", [4]) docet Hobbesius. Quomodo vero haec natura universalis seu communis per motum in rerum natura evolvatur usquedum ad individualem rationalem naturam humanam perveniat, nunc considerandum est.

4. Evolutio motus.

Motus ille aeternus omnibus universi corporibus communis sese, iuxta Hobbesium, diversimode in rerum natura manifestat. Incipiendo a simplici puncto, qui suo motu efficit lineam, linea vero superficiem, superficies autem corpus statuit: corpora per mutuum influxum generare qualitates sensibiles et animi conceptiones: sensus, imaginationem et cogitationum seriem. Omnis vita humana sensitiva, iutellectiva, socialis et religiosa ultimum principium, causam adaequatam, secundum Hobbesium, habent illum motum simplicem omnibus rebus communem. Rem vero ita se habere, patet ex verbis ipsius philosophi. „Qui motus concipit ait Hobbesius, nescire non potest quod motus est loci unius privatio et alterius acquisitio. Deinde habemus eorum generationes, sive descriptiones, ut quod linea verbi gratia fiat ex motu puncti, superficies ex motu lineae, motus unius ex motu alio, etc. restat inquirendum, qualis motus quales effectus generet; ut qualis motus lineam rectam, qualis circularem, faciat, qualis motus pellat, qualis trahat, et qua via; qualis rem visam, auditam, etc. aliter, atque aliter videri, audiri, etc. faciat." [5]) Et deinde viam inquirendi motum indicans, „si nihil aliud consideretur in eo

---

[1]) De Cive c. 6. a.1. p. 43, adnot.
[2]) cf. Lev. c. 38. p. 215.
[3]) Lev. c. 41. p. 227.
[4]) Log. c. 6. a. 5. p. 38.
[5]) Log. ib. a. 6. p. 38.

(sc. corpore), ait, praeter motum quid efficiat; apparet autem statim effici lineam sive longitudinem; deinde quid faciat corpus longum si moveatur, constabitque fieri superficiem, atque ita porro quid fiat ex motu simpliciter." [1]) Sed praeter simplicem motum quo corpus constituitur, etiam mutuum corporum et mutuum influxus datur, quibus „motibus additis, multiplicatis, subtractis, divisisque, qui effectus, quales figurae, et quales earum existent proprietates, contemplandum est". [2]) Et deinde, „sequitur consideratio eorum, quae motus unius corporis efficit in corpus aliud, et quoniam motus esse potest in partibus corporis singulis, ita tamen ut totum suo loco non decedat, inquirendum est primo loco quis motus quem motum efficit in toto,.. et rursus quem motum motus ille secundus generabit in tertio, et sic deinceps." [3]) Et tunc „ad eorum inquisitionem devenietur quae sunt ex motu partium, ut in quo consistit ut eaedem res, sensui tamen eaedem non videantur, sed mutatae; itaque investigantur hoc loco qualitates sensibiles, quales sunt **lux, color, diaphaneitas, opacitas, sonus, odor, sapor, calor, frigus et similia".** [4]) Haec omnia, necnon causa ipsius sensationis in primis, iuxta Hobbesium, consideranda sunt, ut ad moralia consideranda ascendere possimus, vel, ut ipsius verbis utar, „motus animorum, **appetitus, aversio, amor, benevolentia, spes, metus, ira, aemulatio, etc.,** quia physica intelligi non possunt, nisi cognito motu qui est in partibus corporum minutissimis, neque talem motum partium nisi cognito motus simpliciter quid efficiat." [5]) Sed cum cognitio evolutionis vitae intellectualis, moralis et religiosae prout ab Hobbesio docetur nostra magis intersit, discursum motus simplici et physici relinquamus, et ad a) causam sensuum, b) vim imaginativam et c) cogitationum seriem indicandam nos accingamus.

a) **Causa sensationis.**

„Neque in nobis, ait Hobbesius, aliud sunt quam diversi motus". [6]) Hanc vero propositionem explicat tali modo: „nulla..

---

[1]) Log. c. 6. a. 6. 39.

[2]) ibid. p. 39.

[3]) IBid, 1. c.

[4]) Ib. 1. c.

[5]) ibid. 1. c.

[6]) Lev. c. 1 p. 3

est Animi conceptio quae non fuerat ante genita in aliquo Sensuum, vel tota simul, vel per partes,“ [1]) quia „praeter Sensum et Imaginationem, et Cognitionum Seriem, humano animo nullus alius inest motus.“ [2]) Et ulterius „sensus absque sensione non intelligitur,“ [3]) ait, sed „sensio in sentiente nihil aliud esse potest praeter motum partium, quae partes motae organorum quibus sentimus partes sunt.“ [4]) Proinde et sensus est aliquis motus. „Objectum agendo in corporis humani Organa, nempe Oculos, Aures, etc. pro diversitate Actionis diversas producit Apparitiones,“ [5]) quia „Phantasma est sentiendi actus; neque differt a Sensione aliter quam **Fieri** differt a factum esse.“ [6]) „Sensio est ab organi sensorii conatu ad extra, qui generatur a conatu ab objecto versus interna, eoque aliquamdiu manente per Reactionem factum Phantasma.“ [7]) Omnes qualitates sensibiles „sunt in ipso Objecto nihil aliud, praeter materiae motum.“ [8]) Et haec est causa cur „quidquid concipimus, perceptum est ante in Sensione, nulla inesse homini potest imaginatio rei, quae non sit percipienda sensibus.“ [9])

b) Imaginatio.

„Postquam.. Objectum remotum est, vel Oculus clausus, imaginem tamen rei visae retinemus, quanquam aliquando obscuriorem. Atque haec est imago a qua facultatem appellamus Imaginationem“, [10]) aliis verbis, „imaginatio“ est facultas imagines obiectorum in sensibus impressas retinendi. Haec imaginatio, iuxta Hobbesium, duas species habet: 1. imaginatio simplex, 2. imaginatio composita 1. **Imaginatio simplex** est, ut quando quis Imaginatur hominem et equum quem ante viderat. Imaginatio autem, quae oritur ex sensione plurium partium, ut quando

---

1) Lev. c. 1. p. 3.
2) Lev. c. 3. p. 12.
3) Lev. c. 6. p. 25.
4) Phys. c. 25. a. 2. p. 193.
5) Lev. c. 1. p. 3. Nota: „Subjectum Sensionis, ipsum est Sentiens, Objectum est id quod sentitur.“ Phys. c. 25. a. 3. p. 194.
6) Phys. c. 25. a. 3. p. 194.
7) Phys. ib. a. 2. p. 194.
8) Lev. c. 1. p. 3.
9) Lev. c. 3. p. 13.
10) Lev. c. 2. p. 5.

a visione hominis uno tempore, et a visione equi alio tempore, concipimus animo Centaurum, **Composita** dicitur... et nihil aliud est praeter Figmentum Animi." [1]) Imaginatio ergo nihil aliud est quam Sensio deficiens sive Phantasma dilutum et evanidum, et sit hominibus cum animalibus caeteris fere omnibus communis, sive vigilant sive dormiunt.„ [2]) „**Sensus dilutionem** hanc, rem ipsam indicaturi, nempe ipsum Phantasma, nominamus... **Imaginationem;** quando autem significare volumus dilutionem, appellamus **Memoriam,** adeo ut eadem sit res Imaginatio et Memoria, sed propter diversas considerationes, diversis nominibus significata." [3]) „Memoria multarum rerum **Experientia** dicitur." [4]) „Imaginatio quae in homine aliove animali, a sermone vel aliis signis voluntariis nascitur, appellatur **Intellectus.**" [5]) „Intellectus qui homini peculiaris est, est Intellectus non solum voluntatis, sed etiam conceptuum et cogitationum aliorum hominum, per sequelas et contextum Appellationum rerum, in Affirmationes, Negationes aliasque formulas loquendi conceptio." [6]) Alio loco de hoc intellectu hominibus peculiari loquens ait: „Intellectus . . aliud non est praeter conceptum natum a sermone. Itaque si sermo hominibus peculiaris sit, ut videtur esse, etiam homini soli proprius Intellectus est." [7]) Ex his satis patet, Hobbesium conclusisse omnes functiones psychologicas et Intellectuales hominis: intellectum, memoriam, experientiam, imaginationem a facultate retinendi imaginem impressam et ultimatim a motu manare. Cum iuxta Hobbesium brutis et hominibus idem motus insit, sibi conveniens, etiam brutis intelectum non peculiarem quidem, sed communem attribuit, hominemque a caeteris animalibus non intellectu, sermone vel alia signa voluntaria consequenti, distingui asserit, sed „Ratione et Passione hac, quam vocat **Curiositatem,**" [8]) i. e. cupiditate sciendi quid et quomodo. „Admiratio . . homini propria est, quia excitat Appetitum sciendi causam," [9]) quod est discursus mentalis, seu series cogitationum.

---

1) Lev. c. 2. p. 5—6.
2) Ibid. 1. c.
3) Ib. 1. c.
4) Ib. 1. c. cf. Log. c. 1, a. p, 2.
5) Lev. c. 2. p. 8.
6) Lev. c. 2. p. 9.
7) Ibid. c. 4. p. 19.
8) Lev. C. (6. p. 28,
9) Ib. 1. c. p. 29.

c. Discursus mentalis.

Hobbesius, convenienter procedens, discursus mentalis ab eodem principio orti, i. e. a motu explicationem nobis praebet: „Phantasmata, ait, omnia Motus sunt interni, nempe motuum in Sensione factorum reliquiae. Motus autem qui alii aliis succedunt in Sensione immediate, remanent etiam simul, etiam post Sensionem. Adeo ut quoties redit cogitatio prior, praedominaturque, sequatur posterior, propter cohesionem materiae motae, quemadmodem aqua super tabulam planam et levem trahitur per viam qua ducit digitus.“ [1]) „Discursus denique animi quando a designato fine aliquo regitur, nihil aliud est praeter **Investigationem**, sive facultatem Inveniendi quae **Sagacitas** quoque et **Solertia** appellatur, et est quasi venatio quaedam per sua vestigia alicujus Causae vel Effectus praesentis aut praeteriti.“ [2]) Facultatem vero, qua res „perditas“ invenimus, **reminiscentiam** vocat. Prudentia autem, ab auctore etiam praevisio, providentia, sapientia vocata, „est praesumtio Futuri contracta a Praeteriti temporis Experientia.“ [3])

Ratio. Ratio ipsa, quatenus pro facultate animi sumitur, iuxta Hobbesium, non est aliud nisi facultas computandi. [4]) Ipse enim dicit: „Ratio.. nihil aliud est, praeter **Computationem** sive Additionem et Substractionem Nominum generalium, quae ad notationem sive significationem cogitationum nostrarum recipiuntur.. Qui ratiocinatur, vel Totum quaerit Additione partium; vel Residuum, Subtractione partis a parte; id quod si verbis fiat, nihil aliud est, praeter conceptionem consequentiae Nominis partis ad Nomen totius, vel Nominum totius et partis ad Nomen partis reliquae.. Ubicunqne locus est Additioni et Subtractioni, ibi etiam locus est **Rationi;** et ubi illis locus non est, ibi neque rationi locus est.“ [5]) Propterea et res debet tali modo esse nominata, ut ille nomen posset „alteri addi ad conficiendam summam, vel alteri substrahi.“ [6]) „Sed quia eaedem res in rationes inferuntur propter diversa accidentia [7]), earum Nomina, ad diversitatem illam signi-

---

[1]) Lev. c. 3. p. 10.

[2]) Lev. 1. c p. 12., cf. Log. c. 1. a. 2. p. 2.

[3]) cf. Lev. c. 4. p. 12.

[4]) Lev. c. 5. p. 20.

[5]) Ibid. 1. c.

[6]) Ibid. c. 4. p. 17.

[7]) Nota: „Definiemus .. Accidens esse eoncipiendi corporis modum“ Phil. pr. c. 8. a. 2. p. 55.

ficandam, diversimodo variari et torqueri solent". [1]) Diversitatem istam Nominum ipse deinde ad quatuor capita generalia reducit. [2]) Sed quandoque accidit, Hobbesius ulterius docet, ut et peritissimi et attentissimi in controversias et errores incidant, falsas conclusiones in demonstrationibus inferendo, cum eorum ratio non semper recta ratio sit. Et tunc, „quoties . . in Computatione sive Ratiocinatione oritur controversia, illi quibus controversia est, pro recta Ratione, Arbitri alicuius vel Judicis Rationem constituere debent voluntarie; qua uterque obligandus sit; alioqui controversia eorum aut non omnino, aut armis dijudicanda est, defectu rectae Rationis a natura constituta". [3]) Manifestum est hic ab Hobbesio hominem in statu sociali existentem considerari, quia, iuxta ipsum, in statu naturali uniuscuiusque ratio semper et in omnibus necessario recta est, quia ex iure et lege naturali, ait ille, unusquisque vult et quaerit sibi bene esse.

Individuatio naturae humanae.

Ex eo autem quod „ingenium acquisitum, nempe Methodo et Doctrina, nullum est praeter Rationem, quae orta a recto Sermonis usu producit scientias", [4]) manifestum est, causam individuationis et differentiae, iuxta Hobbesium, in ratione „computativa" sitam esse. Et proinde haec hominum differentia seu individuatio naturae humanae fit ope rationis, quae in individuis perficitur et fit scientia. En breviter eius doctrina. „Apparet hinc Rationem non esse, sicut sensus et memoria, nobiscum natam; neque sola ut prudentia, Experientia acquisitam, sed Industria; scilicet apta in primis impositione Nominum; deinde methodo recta procedendo a Nominibus ad Propositiones et a Propositionibus ad Syllogismos, donec veniatur ad cognitionem Consequentiarum Nominum omnium quae ad scientiam pertinent". [5]) „Sensus et Memoria, **Facti** tantum Cognitio est; **Scientia** autem Cognitio est Consequentiarum unius Facti ad alterum. Per eam autem aliquis

---

[1]) Lev. c. 4. p. 18.
[2]) cf. Lev. l. c.
[3]) Lev. c. 5. p. 21.
[4]) Lev. e. 8. p. 37., cf. ib. c. 5. p. 24.
[5]) Lev. c. 5. p. 23.

ex eo quod nunc facere potest, docetur aliquid aliud simile facere, velit, alio tempore.. Scientiae signa sunt alia certa et infallibilia; alia incerta. Certa sunt, quando qui **Scire** se dicit, idem alterum docere, et veritatem perspicue demonstrare potest. Incertum, quando in quibusdam tantum rebus, id quod dicit verum est, sed in multis aliis non item... in omni negotio cujus nulla est Scientia infallibilis, proprio judicio diffidere, Sententiisque Librorum ducendum se permittere, Imprudentia est". [1])

Ratio vero a motu vitali, qui „in generatione inceptus et sine interruptione per totam vitam" continuatur, at absque imaginationis auxilio non oritur, sed a motu animali seu voluntarii, qualis est „**incessus, locutio, et artuum Motus**". [2]). Quoniam autem **incessus, loquela,** et similes Motus Voluntarii, semper dependent ab aliqua praecedente cogitatione, **Quo, qua, via,** et **Quid,** manifestum est Phantasiam Motuum omnium voluntariorum Principium internum primum esse. Etsi autem sint qui motum omnino ullum esse negant, ubi res mota invisibilis est, illud tamen non impedit, quo minus hujusmodi motus sint . . . Principia haec motus parva, intra humanum corpus sita, antequam **incedendo, loquendo, percutiendo**, caeterisque actionibus visibilibus appareant, vocantur **Conatus.** Conatus hic, quando fit versus causam suam vocatur Appetitus, vel Cupido; quarum vox prima generalis est; altera saepe restringitur ad significandum Appetitum aliquem particularem, ut Famem vel Sitim; quando autem Conatus est resistendi a re aliqua, tunc vocatur Aversio." [3]) Ab hoc duplici conatu, appetitu scilicet et aversione, quem parvum motum animalem intra corpus humanum appellat, quemque a phantasmate seu imaginatione dependere dicit, omnes motus tum intellectualis tum moralis tum socialis vitae, immo ipsam deliberationem et voluntatem procedere docet. Haec omnia evidentiae ac brevitati studentes per modum schematis proponimus.

[1]) Lev. c. 5. p. 24.
[2]) Lev. c. 6. p. 25.
[3]) Ibid p. 25.

Motus generans corpus: Motus Puncti

Lineae.
Superficiei.

Motus corporis generati:

Mutuus influxus.

Qualitates sensibiles.

Motus vitalis: sanguinis, Pulsus, Spirationis, Concoctionis Nutritionis, etc.

Sensus.

Motus secundus procedens a motu aeterno.

Motus corporis animati.

Imaginatio.

Cogitationum series.

Motus animalis seu voluntarius.

Appetitus, Conatus

Aversio

Amor.
Odium.
Contemptus.
Gaudium.
Dolor corporis / animi
Spes.
Desperatio.
Metus.
Fortitudo.
Ira.
Fiducia.
Animi objectio.
Indignatio.
Benevolentia seu Caritas.
Avaritia.
Amoitio.
Pusillanimitas.
Magnanimitas.
Virtus bellica.
Liberalitas.
Tenacitas.
Vindicta.
Curiositas.
Religio.
Superstitio.
Vera religio.
Terror.
Admiratio.
Gloria.
Vana gloria.
Demissio animi.
Risus et fletus.
Pudor et Impudentia.
Misericordia.
Compassio.
Crudelitas.
Aemulatio, Invidia.
Deliberatio et Voluntas.

Cr. Lev. c. 6. pp. 25-32.
Phys. c. 25. pp. 192-203.

Cum Hobbesii doctrina de deliberatione et voluntate adhuc maioris momenti pro nobis sit, quid de his docuerit, hic exponendum esse puto. „Quando in animo humano, ait ille, Appetitus, Aversio, Spes, Metus, circa rem eandem oriuntur alternatim, veniuntque in animum Faciendi, Omittendique bonae malaeque consequentiae successive; adeo ut interdum appetamus, interdum fugiamus; interdum speremus, interdum metuemus; tunc totum illud passionum aggregatum, eatunus durans dum res effecta sit, vel reiecta, vocatur Deliberatio... Deliberant etiam bestiae... In **Deliberatione,** Appetitus ultimus vel Aversio, actioni de qua deliberatum est immediate adhaerens, est Voluntas; Actus, inquam, non potentia Volendi. Unde sequitur bestias, quia **Deliberant**, etiam voluntate praeditas esse". [1])

Ex his patet, Hobbesium deliberationem et voluntatem mechanico modo explicare conatum esse ita ut deliberatio amplius non sit „mediorum ab intellectu qua aptorum in ordine ad finem libera electio", prout a scholasticis dici solet, sed quidam motus physicus, quem auctor ipse fundamentum totius philosophiae sequentibus versibus affirmat:

„Et mihi visa quidem est toto res unica Mundo
Vera, licet multis falsificata modis;
Unica vera quidem, sed quae sit basis earum
Rerum quas falso dicimus esse aliquid,
Qualia somnus habet fugitiva, et qualia vitris
Arbitrio possum multiplicare meo:
Phantasiae, nostri soboles cerebri, nihil extra:
Partibus internis nil nisi motus inest".

Et ulterius:

Motibus a variis feror ad rerum variarum
Dissimiles species, materiaeque dolos,
Motusque internos hominum, cordisque latebras:
Denique ad Imperii Justitiaeque bona.
His ego me mersi studiis..." [2])

---

[1]) Lev. c. 6. p. 30.

[2]) Thomae Hobbes VITA, scripta Anno 1672. pp. 119-120 in editione R(ichardi) B(lacburne) anno 1681.

5. **Lex naturalis.**

Status quaestionis. Explanata Hobbesii doctrina de natura universi metaphysice sumpta, quid ab ipso nomine legis nuturalis intelligatur, cur ab ipso lex naturalis cum lege divina identificetur, quaenam sit definitio legis naturalis, quid sit recta ratio, quaenam sit distinctio inter ius naturale et legem naturalem, hic exponi debet.

Quid Hobbesius nomine legis naturalis intelligit?

Ut ad haec recte respondeatur, quid philosophus de perfectione naturae universalis et de eius perfectissima manifestatione in natura singulari senserit, breviter exponam. Perfectissima natura singularis est homo cum suis facultatibus, quae „ad quatuor genera reduci possunt: Vim corpoream, Experientiam, Rationem, Affectum"; [1]) propterea in homine natura universalis perfectissime sese manifestat, i. e. perfectissimam sui formam habet. Et quoniam ex altera parte" causa finalis locum non habet nisi in iis rebus quae habent sensum et voluntatem", [2]) propterea et lex naturalis, quae est ipsa ratio naturalis, [3]) proprie est dictamen humanae rationis, nam post divisionem legis in humanam et divinam et huius in legem „naturalem seu moralem" et positivam, addit: „rursus naturalis dividi potest in naturalem hominum, quae sola obtinuit dici **lex naturae,** et naturalem civitatum, quae dici potest **lex Gentium,** vulgo autem **jus Gentium** appellatur". [4]) Ex his clare patet, Hobbesium legem naturalem in sensu dictaminis humanae rationis sumpsisse.

Cur Hobbesius divinam a morali lege non distingui docet?

Natura universi a motu aeterno generata, iuxta Hobbesium, simul cum sua causa efficiente coexistit et est aeterna. Humana vero natura cum sua ratione recta est participatio universalis naturae, propterea et lex naturalis, quae in homine principium suum habet, est simul lex aeterna, ut expresse Hobbesius affirmat dicens: „lex naturalis aeterna est". [5]) Praeterea, ex consideratione doctrinae Hobbesii de Deo cap. secundo patet, ipsum naturam

---

[1]) De Cive C. 1. a. 1. p. 1.

[2]) Phil. pr. c. 10. a. 7. p. 70.

[3]) cf. De Cive c. 4. a. 1. p. 28, ibid. c. 14. a. 4. p. 101.

[4]) De Cive c. 14. a. 4. p. 102.

[5]) Lev. c. 27. p. 138.

universi cum Deo identificasse. Sed natura humana est perfectissima participatio et culmen evolutionis naturae universi, i. e. divinae, et simul est principium legis naturalis, sicut dictum est supra; propterea et lex naturalis, procedens a ratione humana est divinae naturae, immo est lex divina. Hic nos latet, cur Hobbesius naturalem et divinam legem eamdem esse dicat, at eum id affirmavisse ex sequentibus quae ex eius operibus colligimus manifesta apparet: leges „Naturales . . omnes Divinae sunt", [1]) „Leges enim illae (naturae) Divinae sunt"; [2]) „Naturalis (lex) est ea, quam Deus omnibus hominibus patefecit per **Verbum** suum **aeternum** ipsis innatum nimirum **Rationem naturalem**". [3]) Haec lex naturalis seu divina est simul lex moralis, quatenus dirigit actiones humanas ad finem debitum, „quae naturalis et moralis, ait, eadem et Divina lex appellari solet", [4]) vel „Naturalis sive Moralis", [5]) „Legem naturalem eamdem esse cum lege morali, consentiunt omnes scriptores", — [6]) manifeste, eas unam et eamdem legem esse asserit.

Definitio legis naturalis.

Hobbesius legem naturalem hoc modo definit: „Lex naturalis (est) Dictamen rectae rationis circa ea, quae agenda vel omittenda sunt ad vitae membrorumque conservationem, quantum fieri potest, diuturnam", [7]) quae definitio fere eadem est ac illa tradita in Leviathano:" Lex Naturalis Praeceptum est, sive Regula generalis Ratione excogitata, qua unusquisque id quod ad damnum suum sibi tendere videbitur facere prohibetur", [8]) i. e. si quid obstat, quominus intentum aliquod opus perficiamus, regulae generales a ratione excogitatae auxilio veniunt; haec vel impedimentum removere, vel agenti ex actione intenta aliquod malum secuturum esse indicare debet. Patet proinde, legem naturalem seu moralem seu divinam non passive et participative humanae naturae sed active inesse et per rationem naturalem in unoquoque homine sese singulariter manifestare.

---

[1]) Lev. c. 26. p. 135—6.
[2]) Lev. c. 29, p. 153.
[3]) De. Cive c. 14, a. 4. p. 101.
[4]) De. Cive c. 4, a. 1. p. 28.
[5]) ibid. c. 14 a. 4, p. 101.
[6]) ib. c. 3, a. p. 31, 26.
[7]) Ibid. c. 2, a. 1. p. 9—10.
[8]) Lev. c. 14. p. 66.

Quid sit r e c t a ratio?

Quid sit ratio in tractatu de evolutione motus fuse explicatum est. Haec vero sumpta pro facultate naturae humanae est innata [1]) et facultatem computandi significat, [2]) quia iuxta Hobbesium, ubi locus est additioni vel subtractioni, ibi etiam est locus et rationi. [3]) Sed cum ipsa sit regula actionum, [4]) eiusque dictamina sint leges naturales [5]) seu divinae, claram nctionem rectae rationis, prout a philosopho exponitur, habere, omnium magni interest. En auctoris explicatio: „per Rectam rationem, in statu hominum naturali, intelligo, non ut multi Facultatem infallibilem, sed ratiocinandi actum, id est Ratiocinationem uniuscuiusque propriam, et veram circa actiones suas, quas in utilitatem, vel damnum caeterorum hominum redundare possit.“ [6])

Hoc sensu ratio est uniuscuiusque industria acquisita, estque recta pro unoquoque, immo eius conclusiones seu dictamina feges naturales fiunt.

Quid inter ius naturale et legem naturalem intersit?

Antequam ad leges naturales veniamus, quid iuxta Hobbesium inter ius naturale et legem naturalem intersit, pauca dicam.

„Jus naturale, ait ille, est Libertas, quam habet unusquisque potentia sua ad Naturae suae conservationem suo arbitrio utendi et, per consequens, illa omnia quae eo videbuntur tendere, faciendi“. [7]) „Consistit enim **Jus** in faciendi vel non faciendi Libertate; sed **Lex** ad faciendum obligat vel ad non faciendum. Itaque Jus et Lex differunt ut Libertas et Obligatio, quae, circa eandem rem sunt inconsistentes.“ [8])

---

[1]) De Cive c. 4. a. 1. p. 28.
[2]) Lev. c. 4. p. 17., ibid. c. 5. p. 20.
[3]) Lev. c. 5. p. 20.
[4]) De Cive c. 4. a. 1. p. 28.
[5]) Lev. c. 13. p. 66.
[6]) De Cive c. 2. a. 1. Adnotatio.
[7]) Lev. c. 14. p. 66., De Cive c. 1. a. 7.
[8]) Lev. l. c.

6. Quotuplex sit lex naturalis?

Status quaestionis. Cum iuxta Hobbesium, ratio naturalis recta in statu hominum naturali sit unicum criterium actionum humanarum, cumque ista recta ratio humana, quatenus involvens perfectionem naturae universi, quatenus simplex in individuo, et composita in societate et adhuc magis in civitate, — ubi maxima eius perfectio habetur — per dictamina sua circa diversos fines hominis individualis in diverso statu sociali, fiat lex naturalis, sive improprie dicta in statu hominis naturali, sive proprie dicta in civitate, quia „lex . . proprie dicta est Vox Imperantis, vel prolata, vel scripta, ita ut omnes qui obedire tenentur, sciant vocem eius esse," [1]) quae lex naturalis simul est et divina et moralis, ut supra demonstratum est, — manifestum est, legem naturalem apud Hobbesium multiplicem esse iuxta diversos fines hominis in vita tum particulari, tum sociali, cum certa quadam evolutionis ad statum civilis libertatis perfectae. Lex naturalis ab Hobbesio duplici sensu summitur: 1. „Lex naturalis praeceptum est sive regula generalis ratione excogitata", [2]) et 2. qua praeceptum sive regula particularis, respiciens media ad finem, quae adhuc lex improprie in statu naturali, et lex proprie in civitate nominatur, [3]) dum lex naturalis **generalis** est, iuxta Hobbesium 7 — x:

1. Vitae, membrorumque conservatio.
2. Tendentia rectae rationis ad pacem.
3. Contractus socialis.
4. Legislatio civilis.
5. Conscientia est lex moralis i. e. naturalis.
6. Religio.
7. Rebellio.

Prima inter leges naturales generales est:

Vitae, membrorumque conservatio.

Hanc primam legem naturalem Hobbesius supremam dicit, supremam quidem non solummodo prioritate sed etiam et qualitate, prout

1) Lev c. 15 p. 79.
2) Ibid. c. 14. p. 66.
3) Ib. c. 15. p. 79.

in ipsa definitione legis naturalis exprimitur: „Dictamen rectae rationis circa ea quae agenda vel omittenda sunt ad vitae membrorumque conservationem, quam fieri potest, diuturnam". [1]) Ista conservatio sui ipsius quantum diuturna fieri potest, est primum praeceptum generale rationis humanae, quod ad omnem socialem statum hominis extenditur. In statu tamen absolutae libertatis, i. e. in statu naturali, in quo unusquisque propria recta ratione regitur, et in quo unusquisque in omnia illimitatum ius habet — ex quo sequitur „omnia habere et facere in statu naturae omnibus licere", [2]) unusquisque ceteris hominibus lupus ferox necessario evadit et necessario bellum omnium contra omnes", [3]) cum maximo vitae ac sanitatis periculo connexum exurgit, quae Hobbes sequentibus exprimit „conditio hominum est conditio Belli omnium contra omnes, et propterea unusquisque sua ipsius ratione gubernatur; et quia nihil est, quod in vita contra hostem defendenda utile ei aliquando esse non possit, sequitur in conditione hominum Naturali omnium in omnia Jus esse ipsis hominum corporibus non exceptis. Quamdiu ergo Jus illud retinebitur, nulla cuiquam, etsi fortissimus sit, securitas esse poterit". [4])

Secunda lex naturalis generalis est:

Tendentia rectae rationis ad pacem.

Secundum dictamen rectae rationis naturalis praecipit, ut huic miserabili conditioni medeatur: **„Quaerendam esse pacem** quatenus habendae eius spes aliqua afulserit; ubi habere ea non potest, quaerenda esse belli auxilia, rectae rationis dictamen est, hoc est lex naturae". [5]) Passiones quibus homines ad pacem perduci possunt, sunt Metus, praesertim vero Metus Mortis violentae, et Cupiditas rerum ad bene vivendum necessariarum, et spes per industriam illas obtinendi. Pacis autem articulos quosdam suggerit Ratio, quae leges sunt Naturales". [6])

---

[1]) De Cive c. 2. a. 1. p. 9-10.
[2]) Ibid. c. 1. a. 10. p. 6.
[3]) Ib. l. c. p. 7.
[4]) Lev. c. 14. p. 66.
[5]) De Cive c. 1· a. 15. p. 8.
[6]) Lev. c. 13. p. 66,

Tertia lex naturalis generalis est:

CONTRACTUS SOCIALIS.

Contractus sive pactum sociale ab Hobbesio definitur: „Duorum .. vel plurium jura sua mutuo transferentium actio vocatur Contractus. Ubi vero vel alteri vel utrique creditur .. appellaturque hujusmodi promissio Pactum" [1]) Origo huius legis generalis habetur ex tendentia hominis ad pacem quia si revera pacis habendae aliqua spes adest, eam ratio naturalis non solummodo suggerit, sed quaeri iubet. Sed ad pacem conservandam nonnulla praecepta specialia sive articuli rectae rationis necessarii sunt, quos ipse etiam leges naturales appellat [2]) ,eorumque primus ab illo contractus vocatur: „Oportere unumquemque quoties Paci et defensioni propriae provisum erit, a Jure suo in Omnia, caeteris idem facere paratis, decedere, contentumque esse eadem libertate quam caeteris concedi, vult." [3]) Ratio est, „quamdiu enim faciendi omnia, quae vult, Jus retinet, tamdiu Bellum manet". [4]) „Facit itaque contra rationes pacis, hoc est, contra legem naturae, si quis de jure suo in omnia non decedat". [5])

Alia praecepta rectae rationis concomitantia contractum socialem pro nostra quaestione sunt minoris momenti et proinde omittuntur, [6]) eo magis quod „dictamina haec Rationis nomen quidem obtinuerunt Legum, sed improprie dictarum. Sunt enim de iis rebus quae ad conservationem hominum conducunt tantum Theoremata. Lex autem proprie dicta, est Vox Imperantis, vel prolata, vel scripta, ita ut omnes qui obedire tenentur, sciant vocem ejus esse". [7])

Quarta lex naturalis generalis est:

Legislatio civilis.

Licet iuxta Hobbesium, constituta civitate, salus populi sit suprema lex naturalis, [8]) quae nihil aliud est nisi applicatio primae legis naturalis generalis in quantum conservationem

---

1) De Cive c. 2. a. 9. pp. 11—12; cf. Lev. c. 14. p. 68,

2) cf.Lev. c. 14. p. 66.

3) Lev. l. c. p. 66.

4) Lev. l. c.

5) De Cive c. 2. a. 3. 10.

6) Vide: Lev. cc. 15, 26., pp. 72—79 et 131; cf. De Cive cc. 2, 3 aa. 1 — 27. pp. 20 — 25.

7) Lev. c. 15. p. 79; c. De Cive c. 3. a. 33. p. 27

8) cf. Lev. c. 30, p, 157; De Cive c. 13. a. 2. p. 91.

communitatis i. e. populi respicit, — tamen ratio naturalis uniuscuiusque non solummodo necessitatem legum civilium in civitate dictat, sed etiam postulat, ut legum civilium legislatio ipsa sit lex naturalis. In statu hominum naturali uniuscuiusque ratio naturalis per praecepta sive dictamina sua,— quae promulgatione non indigent neque alios obligant,— fit lex naturalis. In civitate vero constituta ita ut „Potentiam et Vim suam omnem in hominem vel hominum Coetum unum unusquisque transferat unde voluntas omnium ad unicam reducatur, id est, ut omnis homo vel coetus unus Personam gerat uniuscuiusque hominis singularis atque unusquisque authorem se esse fateatur actionum omnium quas egerit Persona illa“, [1]) manifestum est voluntatem summae potestatis civilis, i. e. dictamina rectae rationis eius qui summa potestate civili pollet esse legem naturalem et civilem simul. Sed ut voluntas potestatis civilis lex proprie dicatur, necesse est, ut dictamina rectae rationis illius qui imperat, aliquo modo manifestentur, i. e. promulgentur, nam promulgatio ipsa est de essentia legis civilis. Et sic, dum ex una parte recta ratio postulat ut, securitatis causa, leges civiles in civitate sint, ex altera ut voluntas summae potestatis, quae lex civilis fit, promulgetur. Promulgatio itaque est dictamen rectae rationis, i. e. lex naturalis. Sed promulgatio legis civilis ab eo qui habet potestatem civilem nihil aliud est nisi legislatio civilis. Proinde et legislatio civilis est dictamen rectae rationis, i. e. lex naturalis. Haec est ratio cur „leges naturales, constituta Civitate, Legum civilium fiant pars“, [2]) cur „leges Naturae et Leges Civiles in eadem Civitate se mutuo contineant“. [3])

Quinta lex naturalis generalis est:

Conscientia moralis est lex **naturalis**

Manifestum est, hic non agi de conscientia quam Hobbesius in Leviathano (cap. 7) describit, nempe de „simul scientia“ „quando duo vel plures idem simul sciunt, **Conscii** dicuntur; et quia illi factorum suorum mutuo testes maxime idonei sunt, maxima

[1]) Lev. c. 17, p. 85; ib. c. 21. p. 108; De Cive c. 5. a. 6. p. 37.
[2]) De Hom. c. 13, a. 9, p. 76.
[3]) Lev. c. 26, p. 130.

semper fuit et erit existimata improbitas, testimonium contra conscientiam dicere, vel alium ut dicat inducere;" [1]) neque de conscientia in quantum est secreta cognitio alicuius facti: „usurpatur autem vox **Conscientia** saepissime pro sua cuiusque facti vel cogniti secreta cognitione. Sunt enim qui proprias opiniones suas privatas novasque, propter amorem ingenii proprii . . sustinent, sub nomine illo Conscientiae favorabili, tamquam illas mutare peccatum maximum esset", [2]) sed de applicatione praeceptorum rationis tum generalium tum particularium ad casum singularem, cum distinctione tamen hominum in statu naturae et in statu civili existentium. Quod ad statum naturae attinet, in quo unusquisque propria sua ratione regitur, non est dubium, quin unaquaeque applicatio legis naturalis tum generalis tum particularis sit verum dictamen rationis, et proinde lex naturalis; haec cum actiones respicit, lex moralis nominatur. Sub respectu morali statum hunc Hobbesius sic describit: „ante Pacta et Leges conditas, nulla neque Justitia, neque Injustitia, neque Boni, neque Mali publici natura erat inter Homines magis quam inter Bestias". [3]) Proinde id tantum quaeritur, sitne post pacta inita et leges conditas, i. e. in civitate constituta, uniuscuiusque conscientia lex moralis et naturalis an non? Ex dictis patet, in civitate costituta personam omnium civium, iuxta Hobbesium, a summa potestate geri, et voluntatem imperantis esse voluntatem omnium civium. Cives enim sunt actionum imperantis auctores et proinde omnium legum civilium auctores habentur. [4]) Necessario igitur dictamen rectae rationis oritur: in applicatione ad singula facta vitae quotidianae oboediendum esse, quod Hobbesius exprimit verbis: „lex naturalis omnes leges civiles jubet observari". [5]) Haec applicatio legum civilium ad singula facta vitae quotidianae conscientiam moralem formaliter constituit. Proinde conscientia moralis est dictamen rectae rationis, i. e. lex naturalis.

---

1) Lev. c. 7, p. 33.
2) Lev. ib. p. 33.
3) De Hom. c. 10. a. 5, p. 62.
4) cf. Lev. c. 17. p. 85 ,ibid. c. 21. p. 108, De Cive c. 5. a. 6. p. 37.
5) De Cive c 14 a. 10. p. 104.

Sexta lex:

Religio est **lex naturalis.**

Nota. Hanc legem Hobbesii esse tantum conditionalem concludimus, i. e. fore ut existat donec, cognita materiali et formali religionis causa, a contraria lege naturali repellatur, seu, aliis verbis, donec eius necessitas et utilitas non negetur.

„Omnes homines, ait Hobbesius, opinione tenentur esse invisibile aliquod vel invisibilia, a quo vel quibus, prout propitio sunt vel infesta, omnia Bona speranda, omnia Mala timenda sunt". [1]) Haec vero opinio hominum circa invisibilia agentia eis metum incutit in quo proprie, iuxta illum, stat religio: „Metus Potentiarum invisibilium, sive fictae illae sint, sive a Historiis acceptae sint publice, Religio est„. [2]) Religio ista (hobbesiana) tum naturalis tum positiva, causam ultimam habet in opinione et remote in ratione hominum in statu naturali, vel civili existentium, cuius dictamen—metuenda sunt agentia invisibilia—religio fit. Est ergo religio dictamen rectae rationis, i. e. lex naturalis, quam in statu absolutae libertatis unusquisque sibi eligit, constituta vero civitate, religionem status sequi tenetur. [3]) At manifestum est ex dictis et hanc religionem finem habituram, cum homo ea quae timet causas religionis cognoverit. Haec causae ab Hobbesio ad 4 reducuntur: „in his autem quatuor rebus, Metu Spiritum, Ignorantia causarum secundarum, Cultu eorum quae timent, et sumptione fortuitorum pro prognosticis, consistit religionis semen naturale". . [4]) Proinde concludendum est, etsi omnis religio sit dictamen rectae rationis, i. e. lex naturalis, tamen ipsam religionem, in quantum est lex naturalis, non esse nisi legem naturalem condicionalem.

Septima lex naturalis generalis est:

Securitatem rebelionis ope quaerere est lex naturalis

Omnes leges generales supra enumeratae, ita subordinantur legi primae naturali, quae „vitae membrorumque conservationem, quantum fieri potest diuturnam" [5]) spectat, sicut minus universale ad magis universale; proinde et ipsarum valor et obligatio aeque

---

[1]) De Hom. c. 12. a. 5, p. 70.

[2]) Lev. c. 6, p. 28., App ad Lev. c. 3. P. 361.

[3]) cf. Lev. c. 26, p. 137.

[4]) Lev. c. 12, p. 57.

[5]) De Cive c. 2. a. 1. p. 9—10.

longe manebunt. Insuper, istas leges observare, prima lege naturali in qualibuscunque circumstantiis violata, esset contra rectam rationem, i. e. esset contra legem naturalem. Propterea quaerendum est in datis circumstantiis civis vitae periculosis rectum ordinem restituere, quod est dictamen rectae rationis, conforme cum prima lege naturali fundamentali. Sed ut ordo perturbatus restituatur, necesse est causam perturbationis removere, quae nihil aliud est nisi praesens regimen civitatis. Proinde, perturbato recto ordine, securitatis habendae gratia, agere contra ipsum actuale regimen, dictamen est rectae rationis, i. e. lex naturalis. Quod si securitas obtineri nequeat absque rebellione, haec facienda est, dummodo adsit spes finem obtinendi. Ut autem spes probata dici possit, iuxta Hobbesium, quatuor requiruntur: **„numerus, instrumenta, mutua fiducia,** et **Duces".** [1]) Si istae conditiones adsint, facta seditione, „si civitas venerit in potestatem hostium (in hoc casu in potestatem rebelium), ita ut resisti eis non possit, intelligitur is qui prius **summam** habebat **potestatem**, eam iam ammisisse", [2]) et cives amplius non legibus potestatis praeteritae, sed praesentis obligari. [3])

Ex his patet, Hobbesium rebellionem in civitate non solummodo admittere, sed eam quodammodo necessariam esse ex principiis eius philosophiae necessario sequi, immo eam legem naturalem devenire si sit necessaria pro securitate vitae et membrorum integritate conservanda.

---

[1]) De Cive c. 12. a. 11. p. 88.
[2]) Ibid. C. 7. a. 18. p. 59.
[3]) cf. Lev. c. 26. p. 130.

Caput II. Lex divina.

Status quaestionis. A Hobbesio, sicut supra demonstratum est, lex naturalis cum lege divina identificatur. Cur tamen istae leges ab ipso identificentur, quaenam sit ratio sufficiens huius identificationis, in hoc capite considerabimus. Haec vero quaestio clarius ex consideratione auctoris legis divinae patebit.

Proinde quaerimus:

Divisio: 1. Quid sit Deus iuxta Hobbesium?
2. Quid sit lex divina?
3. Cur lex divina sit lex naturalis?

1. Quid si Deus iuxta Hobbesium?

Certum est, iuxta Hobbesium, Deum esse. De existentia Dei Hobbes non dubitat, immo „lumine naturali sciri posse . . Deum esse“, [1]) affirmat. Quae hoc modo explicat: „Dico igitur etsi ab aliquibus Deum esse lumine rationis sciri possit, tamen homines in voluptatibus, vel divitiis, vel honoribus, perquirendis continuo occupatos, item homines qui recte ratiocinari non solent, vel non valent, vel non curant, denique insipientes, in quo numero Athei sunt, scire id non posse“. [2]) Etiam „inter Attributa, quae Deo debita esse lumine naturali intelligimus, primum est Existentia, id est ut confiteamur Deum esse“, [3]) propterea et „agnitio . . **Unici, Aeterni, Infiniti, Omnipotentis Dei** ab investigatione causarum, Virtutum operationumque corporum naturalium, quam a cura futuri temporis, facilius derivari potuit“, [4]) qui „unicum . . Naturae suae Nomen habet EST“. [5]) Haec est pars positiva quaestionis, nempe affirmatio realis existentiae Dei. Sed supra explicatum est, ab Hobbesio nominalismum profiteri. Propterea quaerendum est, quid apud Hobbesium vox „Deus“, cuius lex aeterna identificatur cum lege naturali proprie significet. Haec quaestio non parvam difficultatem praebet, neque eius solutio ab aliquo auctore mihi cognito hucusque data est, — quia Hobbesius Deum modo unum, aeternum, omnipotentem, [6]) mundi causam, [7]) immutabilem ac simplicissimum, [8]) esse dicit, modo nullum esse movens incorporeum, [9]) animam humanam habere partes, [10]) verbum „substantia incorporea“ esse absurdum, immo vocem

[1]) De Cive c. 2, a. 21, p. 15., ibid. c. 15. a. 14, p. 116—117; De Hom. c. 14, a. 1, p. 77; App. ad Lev. c. 1, p. 328.

[2]) De Cive c. 14, a. 19, adnotatio.

[3]) Lev. c. 31, p. 170; De Cive c. 15, a. 14, p. 117,

[4]) Lev. c. 12, p. 55. [5]) Lev. c. 31, p. 170, [6]) cf. Lev. c. 12, p. 55.

[7]) cf. De Cive c. 15, a. 14, p. 117; [8]) cf. App. ad Lev. C, 1, p. 329.

[9]) cf. Phys. c. 26, a. 7. p. 213. [10]) cf. Phil. pr. c. 7, a. 9, p. 52.

insignificantem, [1]) spiritusque esse corpora tenuissima affirmat. [2]) At Deum esse spiritum Hobbesius non negat, tamen spiritum corpus esse docet. [3]) En eius doctrina: „quod ad Deorum materiam sive substantiam attinet, cogitare aliam vix potuere quam qualem putaverunt esse substantiam Animae humanae. Animae autem humanae substantiam talem esse arbitrati sunt, qualis est hominis, vel aliorum corporum, in Somno vel Speculo apparentium species; quam nihil esse aliud praeter Phantasma nescientes, substantiam realem esse crediderunt, sed tenuem, et propterea eam Spiritum vocabant. Sunt enim Spiritus Corpora tenuissima". [4]) Et ulterius: „Spiritus enim loco et figura, id est Terminis et magnitudine sua aliqua determinatur; et proinde Corpus est, utcunque tenue et invisibile". [5]) „De Spiritibus autem judicabam ex aere qui Spiritus est, et vento quem tactu sentiebam, et propterea Spiritum existimavi corpus quidem sed tenue esse, et Spiritus alios aliis esse posse teniores, puriores, et alios ab aliis differre posse etiam virtute, non minus quam liquores". [6]) Quae et sequenti loco confirmantur: Spiritns sive ventus quidam praeternaturalis". [7]) Objicientibus vero Christum corporeitatem spiritus non docuisse, respondit: „Respondeo, primo ubi Christus dicit Spiritum non habere carnem et ossa, etsi Spiritus esse affirmet, illos tamen Corporeos esse non negat. Item ubi S. Paulus dicit de Electis, quod resurgent **Corpora Spiritualia,** naturam Spirituum agnoscit, sed Corpoream. Aer enim aliaeque res multae etsi non sint neque caro neque ossa, neque res ulla crassa oculis discernenda, corpora tamen sunt." [8]) Immo ipse sibi obiectionem proponit. „Verum si Spiritus immaterialis nullus sit, quaestio alia orietur, cur neque Servator noster neque Apostoli ejus id docuerunt verbis manifestis ne dubitari amplius posset?

---

[1]) cf. Lev. c. 4, p. 19; App. ad Lev. c. 3, p. 361, et p. 329.

[2]) cf. Lev. c. 12, p. 56, ib. c. 34, p. 186; ib. c. 45, p. 306.

[3]) cf. Lev. c. 8, p. 42; ib. c. 34, p. 186; ib. c. 4, p. 19; ib. c. 12, p. 56. ibid. c. 29, p. 155; ib. c. 34, p. 183; ib c. 45, p. 306 et 30[illegible]; ib c. 46. p. 320; App. ad Lev. c. 1, p. 329; ib. c. 3, p. 361.

[4]) Lev. c. 12, p. 56; ib. c. 34, p, 186; ib. c. 45, p. 306.

[5]) Lev. c. 12, p. 56; ib. c. 8, p. 42. Ipse etiam spiritum et alio sensu sumit, nempe pro cumulo actionum: cf. Lev. c. 8, p. 40

[6]) App. ad. Lev. c. 1. p. 344.

[7]) Lev. c. 29, p. 155.

[8]) Lev. c. 45, p. 306.

Respondeo, quaestiones hujusmodi Christiano nomine indignas esse, nec ad salutem necessarias". [1]) Ex metu phantasmatum, ait „nata est opinio de Substantiis Incorporeis, id est nullam habentibus magnitudinem, et quod Deus ipse optimus maximus magnitudinem non haberet, quanquam neque Substantia Incorporea, nepue Substantia Immaterialis in Scriptura Sacra inveniatur". [2]) Estne ergo Deus corporeus? Utique. Hoc Hobbesius aperte docet: „Illi.. qui meditatione propria in cognitionem venerunt unius Infiniti, Omnipotentis et Aeterni Dei, maluerunt illum supra intellectum nostrum Incomprehensibilem esse confiteri, quam Naturam ejus per **Spiritum Incorporeum,** praeter Scripturae authoritatem, definire et deinde confiteri Definitionem illam non esse intelligibilem. Sed Deum esse Spiritum Incorporeum dixerunt fortasse non Dogmatice, ut Naturam Divinam per ea verba comprehenderent, sed ex intentione pia Deum Attributo aliquo honorandi, quod corporum visibilium crassitudinem omnem a Deo removerent". [3]) Etiam in appendice ad Leviatan, cum sententia Tertuliani consentiens, ait: „Quicquid corpus non est, non est Ens", et „Omnis Substantia est Corpus sui generis", vel „Omnes sumus et movemur in Deo. Sunt verba Apostoli. Quantitatem autem habemus omnes. An quantum inesse potest in non Quanto? Magnus est Deus, sed magnitudinem intelligere sine corpore impossibile est". [4]) Ex hoc manifeste apparet, Deum, iuxta Hobbesium, esse corpus, etsi tenue et invisibile, at corpus reale. Nihilominus Hobbesius affirmat, hunc „Deum" materialem „ab aeterno" fuisse et „in aeternum" futurum esse. [5]) „Deus qui neque ab alio, neque a se factus est, non potest mutari neque Metamorphosem pati, neque a se neque ab alio sed est Immutabilis et, sine mixtione illa Aristotelica, simplicissimus". [6])

Si ad hucusque dicta sequentia Hobbesii verba addamus, „neque an honorifice de Deo sentiendum sit, an sit amandus, timendus, colendus, dubitari potest", [7]) et **attributa** Dei, de quibus mox dicetur, difficultas fere indissolubilis videtur. En iuxta Hobbes divina **attributa.** „Inter Attributa, quae Deo debita esse lumine naturali intelligimus, primum est **Existentia,** id est ut con-

[1]) Lev. c. 45, p. 308.
[2]) Lev. c. 46, p. 320.
[3]) Lev. c. 12, p. 56.
[4]) App. ad Lev. c. 3, pp. 360, 361; Lev. c. 46, p. 316.
[5]) App. ad Lev. c. 1, p. 329.
[6]) App. ad Lev. ib. 1. c.
[7]) De Hom. c. 14, a. 4, p. 78.

fiteamur **Deum esse"**. [1]) „Secundum est **Omnipotentia,** et quod omnium rerum Conditor est et Rector." [2]) „Tertium, Deum non honorant quantum possunt, qui finitum esse dicunt. Quartum contra Dei honorem est dicere plures esse Deos. Plura enim Infinita esse non possunt". [3]) „Quintum, contra Dei honorem est.. Deo attribuere passiones, quae subindicant Dolorem, ut Poenitentiam, Iram, Misericordiam; vel quae significant Indigentiam; ut appetitum, Spem, Cupidinem.. Itaque quando Deo attribuimus **Voluntatem,** non debemus per Voluntatem Appetitum Rationalem intelligere qualis in homine est, sed Divinam Potentiam qua omnia quae fiunt efficit". [4]) „Similiter qui Deum videre, sentire, scire, intelligere dicunt.. nisi per ea verba intelligant Divinam et Inconprehensibilem Potentiam, Deum non honorant". [5]) Deus est omniscius. [6]) At quibus nominibus, iuxta Hobbesium, Deus est honorandus? „Illum, ait, qui nollit attribuere Deo alia nomina, quam iubet ratio, oportet uti nominibus, quae vel negativa sunt, ut infinitus, aeternus, incomprehensibilis vel superlativis, ut optimus, maximus, fortissimus, etc., vel indefinita, ut bonus, justus, fortis, creator, rex, et similia; eo sensu, ut non velimus quid sit dicere, quod esset cum limitibus nostrae phantasiae circum scribere, sed propriam admirationem, et obedientiam confiteri, quod humilitas est, et proprium animi honorantis, quantum potest. Unicum enim ratio dictat naturae significativum Dei nomen, **existens,** sive simpliciter, **quod est,** unumque **relationis** ad nos, nempe **Deus,** quo continetur et **Rex,** et **Dominus,** et **Pater,"** [7]) cuius „Unicum.. Naturae suae Nomen habet EST." [8]) Si ad haec alia effata Deum respicientia adjicias, Deum esse conditorem naturae, [9]) mundum non ex materia praeexistente sed ex nihilo factum esse, [10]) „per nomen illud **Deus"** intelligi mundi causam [11]), – haec Deo materiali convenire non posse patet, prae-

[1]) Lev. c. 31, p.170; De Cive c. 2, a. 21, p. 15; ib. c. 15, a. 14, p. 116: De Hom. c. 14, a. 4, p. 78; App. ad Lev. c. 1. p. 328.

[2]) Lev. c. 31, p. 170; De Cive c. 15, a. 14; ib. c. 2, a. 23; De Hom. c. 14, a. 4, p. 78; Probl. phys. Epist. dedic. ad Regem.

[3]) Lev. c. 31. p. 170; De Cive c. 13, a. 14, p. 116.

[4]) Lev. c. 31, p. 170; De Cive l. c., De Hom. c. 15, a. 3, p. 85. Lev. c. 36, p. 197-8.

[5]) Lev. c. 31, p. 170; De Cive c. 15, a. 14, p. 116.

[6]) cf. De Cive c. 2, a. 23, p. 16.

[7]) De Cive c. 15, a. 14, p. 118; Lev. c. 31, p, 170, Ibid. c. 34. p. 184.

[8]) Lev. c. 31, p. 170.

[9]) cf. Lev. c. 11, p. 54; Probl. phys. Ad Regem.

[10]) cf. App. ad Lev. c. 1, p. 329; De Cive C. 15, a. 14.

[11]) De Cive c. 15, a. 14 p. 117.

sertim si voces „immutabilis", „simplex" prout a nobis christianis concipiuntur, intelligantur. Quid revera ista verba seu attributa divinae naturae sicut „immutabilis" et similia apud Hobbesium significant? Non obstante sententia: „de Natura.. Divina disputare, honori Deo debito contrarium" esse, [1]) confiteri debemus, ista verba „immutabilis", „simplicissimus" et similia esse vocabula honoris causa excogitata non ad rem, prout est in seipsa, sed ad intentionem honorantis significandam, prout ipse auctor docet: „In Attributis.. Divinis respiciendum non est ad Definitiones vocabulorum, sed ad quam significant honoris Intentionem", [2]) ait Hobbesius. „Nec mirum, cum Natura Dei incomprehensibilis sit, et Nomina ei attribuenda sunt, non tamen ad Naturam ejus, quam ad honorem quem illi exibere debemus congruentia". [3]) Et ulterius: „quamquam vox haec infinitum significet conceptum animi, non tamen sequitur conceptum nobis aliquem esse rei infinitae; quando enim dicimus aliquid esse infinitum, non aliquid in re significamus, sed impotentiam in animo nostro; tanquam si diceremus nescire nos, an et ubi terminetur". [4]) Ex quibus dialectice sequitur: „Quoniam.. Nominum et Appellationum usus ex constituto oritur, etiam ex constituto poterit mutari". [5]) „Nomina ergo quae ex constituto hominum obtinuêrunt Deo attribui, eorundem constituto cessare possunt... Jure ergo civitas.. quae nomina sive appellationes Deo honorificae sint, judicabit". [6]) Hanc Hobbesii sententiam esse ipsius nominalismi sequelam, patet. Haec nomina hasque appellationes quae ut signa honoris Deo attribuuntur, dummodo aliquid in civitate valeant, conservari oportere, ait Hobbesius, licet ipse de Deo aliter sentiat. Quid ergo? Probatum quidem est, Deum, iuxta Hobbesium, corpus esse. Sed quale corpus? Tenue, quod nullo sensu percipi potest quodque aêri simillimum est, quia Deus est spiritus et aêr est spiritus. [7]) Ad hoc possumus addere et locum quo ipse docet quae „theoremata" demonstrabilia sint et quaenam non sint.

[1]) Lev. c. 31, p. 171; cf. et hoc „In his autem disputationibus dum scientiam quaerimus earum rerum quae sub scientia non cadunt, Fidem in Deum, quantum in nobis est, destruimus. Posita enim scientia tollitur Fides . . " De Hom. c. 14, a. 4, p. 78.

[2]) Lev. c. 31. p, 171; ib c, 3, pp. 12—13.

[3]) Lev. c. 34, p. 184.

[4]) Lev. c. 3, p. 12; De Cive c, 15, a. 14, p. 117.

[5]) De Cive c. 15. a. 16, p. 119.

[6]) De Cive ib. p. 120.

[7]) cf. App. ad Lev. c. 1. p. 344.

„Demonstrabilia.. sunt Theoremata plurima circa quantitatem.. ob hanc rem quod figuras nos ipsi creamus, contingit Geometriam haberi et esse demonstrabilem. Contra, quia Rerum naturalium causae in nostra potestate non sunt, sed voluntate divina, et quia earum maxima pars, nempe aether, est invisibilis, proprietates earum a causis deducere, nos qui eas non videmus, non possumus". [1]) Itaque causa rerum naturalium est ex una parte „corporalis Deus", ex altera vero invisibilis aether. An Hobbesii „Deus" ab aethere realiter differat et in quonam gradu, parum refert; satis est nobis scire, Deum habere quantitatem extensam, quae cum ipsius materia prima congruit. Sed non ex omni parte. Materia enim prima, iuxta Hobbesium, est merum nomen, et significat corpus absque ulla forma, praeditum extensione et aptum ad formam et accidentia recipienda, [2]) Deus vero, iuxta eundem philosophum, est magnus extensus est corpus, sed est simul et causa mundi [3]) et conditor naturae dicitur; proinde materia iam in sua „divina" i. e. facta forma. Quid vero actuat materiae primae formam? Iuxta Hobbesium respondi debet: motus aeternus. Haec duo principia substantialis essentiae universi: materia prima et motus aeternus, motu secundo actuat sive creat universum. Sed Deus, iuxta Hobbesium, etiam est materialis, praeditus magnitudine et simul conditor et causa mundi, i. e. corporalis, quia Hobbesius nullum movens incorporeum admittit. Quid ergo est Deus? Deus iuxta Hobbesium, nihil aliud est nisi ipsa substantialis essentia universi, seu aliis verbis, natura universi. Haec est necessaria sequela ipsius „Dei materialis".

2. Quid sit lex divina?

Status quaestionis. Soluta quaestione quid verbum **Deus** apud Hobbesium proprie significet, demonstrato scilicet ipsius Deum materialem esse et proprie naturam universi significare — etsi in aliquibus locis Deus in sensu christiano sumptus videatur- haec nobis ad legis divinae naturam determinandam maximi momenti erunt. Quid proprie apud Hobbesium significat lex divina? Nihil aliud nisi ipsam legem naturalem universalem.

[1]) De Hom. c. 10, a. 5, p. 61.
[2]) cf. Philos. pr. c. 8, a. 24, p. 63.
[3]) De Cive c. 15. a. 14, p. 117.

Deum enim et naturam universi, sicut supra demonstratum est, etsi non expressis verbis, tamen identificat. Propterea et lex naturalis et lex divina idem sunt, quia ambae ab eodem fonte procedunt, nempe a recta ratione humana: leges „naturales enim omnes Divinae sunt", [1]) quia ambae sunt dictamina eiusdem rationis, et in civitate fiunt leges civiles et morales. Haec est ratio cur omnes hae leges apud Hobbesium identificentur.

Leges vero divinas Hobbesius distinguit in a. leges divinas naturales, quae sunt universales, et b. in leges divinas positivas. [2]) De legibus divinis, ut sunt leges naturales, hic statim agemus, de legibus vero positivis, i. e. a Deo populo electo datis, in capite quarto ubi sermo erit de religione, dicetur. Ex his iam patet legem divinam esse legem naturalem universalem, legem vero moralem esse legem naturalem particularem. De quo fusius —

3. Cur lex divina sit lex naturalis?

Sicut adnotavimus, Hobbesius distinguit leges divinas in a. „quae ad officia hominum spectant mutua; et b . . quae spectant ad cultum Dei naturalem". [3]) Leges autem, quae mutua officia hominum spectant, aliae sunt generales, puae respiciunt hominem in diverso statu sociali eique finem huius status indicant, quorum maxima est: „Bonorum autem primum est sua cuique conservatio", [4]) et in leges particulares seu speciales, quae media debita ad finem respiciunt. Nulla quaestio est leges generales naturales, de quibus supra tractavimus, sintne leges divinae an non, et vice versa leges divinae quae respiciunt mutua hominum officia, quatenus sunt generales, sintne et naturales, in hoc enim sensu Hobbesius ait, leges „naturales enim omnes Divinae sunt„, [5]) et istae leges, etsi legum „civilium fiunt pars" [6]) ac indispensabiles: „Leges Divinae et Leges Naturae sunt indispensabiles". [7]) Etiam et leges divinae, quae ad cultum Dei naturalem spectant manifeste, dum ratio formalis ipsius cultus, scilicet metus potentiarum invisibilium adsit, sunt dictamina rationis humanae, proinde et leges naturales seu divinae. Solummodo quaeri potest, utrum leges civiles particulares fiant leges civiles, an inter eas aliquid

[1]) Lev. c. 26, p. 136.
[2]) cf. De Cive c. 14, a. 4, p. 101. Lev. c. 26. 135.
[3]) Lev. c. 31. p. 168.
[4]) De Hom. c. 11, a. 6, p. 64.
[5]) Lev. c. 26, p. 136
[6]) De Hom. c. 13. a. 9, p. 76. De Civec. 14, a. 2. p. 100.
[7]) Lev. c. 28, p. 148.

intersit. Easdem Hobbesius distinguit: „Cives habenti Potestatem Summam simplicem debere Obedientiam, praeterquam in iis rebus, quae pugnant cum legibus divinis“ [1]) nempe cum legibus naturalibus generalibus. Ex hoc possumus inferre, non omnem legem civilem esse legem divinam, nec omnem legem divinam esse legem civilem, etsi „Leges Naturae et Leges Civiles in eadem civitate se mutuo continent“, [2]) quia, ut lex divina fiat lex civilis, requiritur acceptio et promulgatio ab eo qui summam habet potestatem in civitate. „In rebus omnibus legi Morali, id est Legi Naturae non contrariis, cives omnes obligari ut pro Lege Divina habeant, quicquam a Lege Civili pro Lege Divina declaratur“. [3])

His consideratis, concludere possumus leges divinas esse leges civiles, at non omnes, sed solum eas quae ut leges civiles a summa potestate civili acceptantur et promulgantur, omnes tamen leges divinas esse leges naturales. Et cum ex altera parte leges divinae seu naturales sint fundamentum omnis legis civilis, si istae leges divinae seu naturales a lege civili violantur, oboedientiam summae potestati praestare cives amplius non obligantur. De hoc autem fusius ubi de libertate civium agitur, tractabimus.

[1]) Lev. c. 31, p. 166.
[2]) Lev. c. 26, p. 130.
[3]) Lev. c. 26, p. 137.

PARS SECUNDA.

Religio et libertas apud Th. Hobbesium.

Status quaestionis.

Interna ratione identitatis legis divinae cum naturali explanata, indicato processu quo natura universalis per aeternum „fieri" ad naturam particularem humanam, in qua fit ratio et intellectus et voluntas, perveniat, adhuc nobis considerandum est, quomodo iuxta Hobbesium natura particularis humana perficiatur, manifestetur in statu naturali, sociali, civili et quomodo ad statum perfectae libertatis perveniat. Natura particularis humana, quae iuxta Hobbesium per rationem maxime manifestatur, duplici via ad perfectionem accedit. Et quo magis ratio humana perfecta est eo magis et religio et libertas humana perficiuntur, et versa vice. Omnes igitur illos status sub duplici respectu considerare convenit.

Divisio:

Caput III. Religio et libertas in statu naturali.
„ „ IV. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ sociali.
„ „ V. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ civili.
„ „ VI. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ perfectae libertatis, sive via ad liberalismum democraticum absolutum.

In hac quaestione usus sum his operibus Th. Hobbesii:

1. Phys. cc. 25, 26.
2. De Hom. cc. 10, 11, 12, 14.
3. De Cive cc. 1, 2, 3, 6, 9, 10, 13, 14, 15, 16, 17, 18.
4. Leviathan cc. 1, 2, 5, 6, 7, 12, 13, 14, 15, 16, 18, 20, 21, 22, 24, 27, 31, 32, 33, 34, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 46, 47.
5. App. ad Lev. c. 3.

Caput III. **Religio et libertas in statu naturali.**

Praenotamen. Hanc quaestionem sequenti ordine tractabimus: a. de religione in statu naturali, b. de libertate in statu naturali. Utraque pars terna puncta habebit: 1. Religio naturalis, 2. Cultus religionis naturalis, 3. Libertas individualis illimitata.

1. Religio naturalis.

Religio, iuxta Hobbesium, nihil aliud est nisi „Metus potentiarum invisibilium, sive Fictae illae sint, sive ab Historiis acceptae sint publice". [1]) Hoc modo ab eo origo religionis naturalis explicatur: „Naturae humanae proprium est, Causas investigare eventuum quos vident, alii magis, alii minus, sed omnes quatenus possunt causas investigant propriae fortunae sive bonae sive malae . . Homo autem, quae causa, quem effectum producit animadvertit, et quae res antecessit, et quae consecuta est, memoria tenet; etiam quando causarum verarum inscius est, causas supponit, quas ipse imaginatur vel suggerunt alii, quos seipso Sapientiores esse arbitratur. Ab his Naturae Humanae proprietatibus nascitur Anxietas. Rerum enim omnium quae hactenus contigerunt, aut postea contingent, causas esse homines certo sciunt, conantibusque mala quae metuunt arcere, et bona quae cupiunt procurare, temporis futuri sollicitudinem perpetuam evitare impossibile est . . Metus hic perpetuus, qui genus humanum in causarum ignorantia, quasi in tenebris comitatur, Objectum habet necessario aliquod. Quia ergo fortunarum suarum causam illam homines non vident, nihil est quod accusare possunt, praeter **Potentiam** aliquam, et **Agentem invisibilem.** [2]) Ex hoc metu potentiarum invisibilium nascitur cultus. „Cultus qui Potentiis invisibilibus, dictante sola Natura, exiberi potest, alius non est quam quo homines superiores suos colere consueverunt; nempe signa Honoris et Reverentiae" . . [3]) In his autem quatuor rebus, Metu Spirituum, Ignorantia Causarum secundarum, Cultu eorum quae timent, et sumptione fortuitorum pro prognosticis, consistit Religionis semen naturale, quod per hominum Phantasias, Iudicia, Passiones et Consilia diversa, adeo diversas produxit ceremonias, ut quae Lege in una Civitate comprobantur, in alia derideantur". [4]) Fundamentum vero omnium religionum est effectus pietatis naturalis, qui consistit in admiratione illius potentiae invisibilis a qua res admirabiles quae in mundo videmus, conditae sunt: „omnes homines opinione tenentur esse invisibile aliquod vel

---

[1]) Lev. c. 6, p. 28., cf. App. ad Lev. c. 3, p. 361.

[2]) Lev. c. 12, pp. 54, 55.

[3]) Lev 1. c. p. 57.

[4]) Ibid. 1. c.

invisibilia, a quo vel quibus, prout propitia sunt vel infesta, omnia Bona speranda, omnia Mala timenda sunt". [1]) Religio proinde naturalis ultimam causam habet in recta ratione humana quae est „verbum Dei" et quae est omnibus hominibus communis, propterea et religio naturalis regnum Dei naturale et universale esse dicitur. [2]) „Naturalis quatenus illos regit, qui Providentiam ejus agnoscunt, Dictamen Rectae Rationis", [3]) etsi „velint nolint homines, Deus est Rex universae terrae; neque si sint qui **Existentiam** per ejus, vel **Providentiam** negaverint, ideo solio suo excutitur". [4]) Quod vero subditos in regno Dei naturali attinet, hi „non sunt res inanimatae, neque creaturae irrationales; quia Praecepta Divina nulla intelligunt; neque Athei, aut qui actionum humanarum curam Deo esse non existimant; propterea quod nullum agnoscant Praeceptum Divinum. Qui ergo credunt Deum esse, et generis humani curam gerere, et Praecepta Divina agnoscunt, in Regno Dei soli cives sunt; reliqui pro hostibus censeri solent". [5]) Sed quomodo homines possunt scire, quaenam praecepta Dei sint, cum ad hoc „ut quis Verbis regatur, requiratur ut verba intelligant; quia illi, nisi hoc fit, Leges non sunt„. [6]) M. e. ope promulgationis: „cum ad essentiam Legis pertineat perspicua Promulgatio, qualis Ignorantiae excusationem peccantibus tollere sufficiat. Promulgantur autem Leges Divinae tribus modis, nempe per dictamen **Rationis Naturalis;** per **Revelationem;** vel per **vocem** alicuius hominis cui, fidem apud caeteros fecit Deus, per operationem Miraculorum". [7]) Et propterea „triplex . . dici potest esse Verbum Dei; Nimirum Rationale, Sensibile, et Propheticum, cui respondet triplex genus audiendi Deum, nempe **Recta Ratio, Sensus Supernaturalis,** et **Fides.** Sensus autem supernaturalis, cum sit nihil aliud quam Revelatio homini singulari facta, illum solum obligat, cui facta est". [8]) Propter alia duo Dei verba, nempe rectam rationem et prophetiam, „attribui Deo potest Regnum duplex, Naturale et Propheticum. Naturale, qantenus

---

[1]) De Hom. c. 12, a. 5, p. 70.
[2]) cf. De Cive c. 15, a. 4, p. 112.
[3]) Lev. c. 31, p. 167.
[4]) De Cive c. 15, a. 2, p, 111.
[5]) Lev. c. 31, p. 167.
[6]) Lev. 1. c.
[7]) Lev. 1. c. De Cive c. 15, a. 3, p. 112.
[8]) Lev. 1. c. p. 167.

illos regit, qui Providentiam ejus agnoscunt. per dictamen Rectae Rationis. Propheticum, quatenus populum suum Electum, nempe primo Israelitas, et deinde Christianos, quos non solum per dictamina rationis Naturalis regit, sed etiam per Leges Positivas, illis datas per Prophetas suos". [1]) „Quod si jus Regnandi habeat Deus ab omnipotentia sua, manifestum est, obligationem ad praestandam ipsi obedientiam, incumbere hominibus propter imbecillitatem". [2]) Et quia Deus est omnipotens, ipsi oboediendum est. Sed obligationis naturalis duae species dantur: „una ubi libertas impedimentis corporeis tollitur; iuxta quam coelum et terram et creaturas omnes communibus suae creationis legibus obedire dicimus. Altera ubi tollitur spe et metu; iuxta quam, infirmior potentiori vi resistere se posse desperat, non potest non obedire. A secundo hoc obligationis genere nascitur, hoc est, a metu, sive imbecillitatis propriae, respectu divinae potentiae, conscientia quod in Regno Dei naturali, ad obediendum Deo obligemur; dictante scilicet ratione, omnibus Dei potentiam et providentiam agnoscentibus non esse calcitrandum contra stimulum". [3]) „Quoniam Verbum Dei per naturam solam regnantis aliud non supponitur praeter rectam rationem, leges autem Regum ab eorum Verbo solo agnosci possunt, manifestum est, leges Dei per solam naturam regnantis, solas esse leges naturales". [4]) Ex his satis nobis patet, rationem naturalem religionis naturalis fontem esse. Videamus nunc qualis cultus naturalis, dictante recta ratione naturali, iuxta Hobbesium, exibendus sit Deo.

2. Cultus naturalis.

Eadem recta ratio naturalis, quae est „verbum Dei" et egum naturalium fons, debet etiam indicare quae sint observanda in cultu Dei naturali, seu quinam sit „actus externus Honoris interni signum", [5]) i. e. restat considerandum, „quae sint Naturalis Rationis dictamina circa Majestatis Divinae Honorem et Cultum", [6]) quam quaestionem breviter per capita commemoremus.

---

[1]) Lev. c. 31, p. 167.
[2]) De Cive c. 15, a. 7, p. 114.
[3]) De Cive 1. c. p. 114.
[4]) De Cive ibid. p. 114.
[5]) De Cive 1. c. p. 115.
[6]) Lev. c. 31, p. 168., De Cive c. 15, a. 8 p. 114.

„Honor proprie loquendo, nihil aliud est quam opinio alienae potentiae conjunctae cum bonitate.. Et honorare aliquem, idem est quod magni aestimare... Et sic Honor non in Honorato sed in Honorante est". [1]) „Honorantis ergo Deum, est de Potentia et Bonitate Divina, quantum possibile est magnificentissime sentire". [2]) Sed quia religionis naturalis „duae sunt partes, quarum altera est **Fides,** sive credere Deum esse, et omnia gubernare, altera est **Cultus"**, [3]) quae tamen referuntur ad eundem honorem Deo debitum, videndum est primo, quid de fide, i. e. de honore interno, et secundo quidque de manifestatione huius honoris interni signis externis, seu de cultu ratio naturalis dictet.

Fides. „Prior autem pars illa de Fide in Deum vocari solet **Pietas** erga Deum. Nam qui id credit non potest non conari in rebus omnibus illi obedire, neque illi in prosperis gratias non agere, neque in adversis non supplicare; quae sunt proprissima opera Pietatis; in his enim continentur Amor et Metus quibus jubemur Amare et Timere Deum". [4]) Ipsamet pietas erga Deum „constat Fide, Justitia et Charitate" et proinde sicut „opera Justa sine Fide, ita etiam sacrificium, et Cultus omnis sine Justitia et Charitate (Deo) abominabilis est". [5])

Cultus. Hic honor internus cum sit per signa vel actiones indicatus, vocatur cultus. At quinam est finis cultus divini?

„Finem propter quem coli se velit Deus Omnipotens, nullum video, praeterquam ut beneficiat nobis; Cultusque noster debitus est; et illi iuxta honorandi regulas, quas Ratio Naturalis dictat Potentioribus a minus Potentibus observandas esse, boni adipiscendi vel damni vitandi causa exibendus". [6]) Hanc ob causam, quia „honor internus in se includit tres affectus: Amorem, Spem et Metum", tres partes cultus externi nascuntur: „Laus, Magnificatio, et Benedictio sive ut loquuntur Graeci makarismos; quarum una Bonitatem, altera Potentiam, tertia felicitatem attribuit". [7])

---

[1]) De Cive c. 15, a. 8, p. 114.
[2]) Lev. c. 31, p. 168.
[3]) De Hom. c. 14. a 1, p. 77.
[4]) De Hom. c. 14, a. 1, p. 77.
[5]) De Hom. c. 14, a. 7, pp. 79, 80.
[6]) Lev. c. 31. p. 170., cf. De Cive c. 15, a 13, p. 116.
[7]) Lev. c. 31. p 169., De Cive c. 15, a. 10, p. 115.

„Signa honoris aliqua sunt, tum in Attributis, Bonus, Justus, Liberalis et similia; in actionibus, ut Preces, Gratiarum actio, et Obedientia. Alia signa honoris fiunt per Voluntatem vel Consuetudinem hominum.. et dici possunt Cultus Arbitrarius". [1]) Quod autem attinet cultum arbitrarium, is potest esse 1. imperatus, 2. voluntarius. Rursus alius est publicus, alius privatus. [2]) Adhuc, „Cultus partes sunt vel Rationales vel superstitiosae sive Phantasticae". [3]) Cultus superstitiosus propter diversitatem opinionum eorum hominum qui plures Deos esse credebant, nimirum qui gentem quandem Coelitum, quasi hominum aeriorum Civitatem esse putabant, majorem habet varietatem quam ut narrari possit". [4]) Hucusque vidimus quam artificialiter religionem naturalem ab unico fonte suarum legum i. e. a recta ratione ducat, quae nihil aliud est nisi processus motus. Sed quia recta ratio unicuique est propria, proinde ab Hobbesio vocatur facultas computativa, i. e. quae procedit et terminatur in additione et subtractione nominum generalium: „quae ad notationem sive significationem cogitationum nostrarum recipiuntur", [5]) et quia ista ratio naturalis in unoquoque est individuata, en ratio cur diversi conceptus libertatis et religionis sint. Opus est, puto hic repetere ea quae antea ab ipso de religione naturali dicta sunt et inspicere a quonam fonte procedant.

Hobbesius religionem omnem asserit esse metum potentiarum invisibilium; [6]) metus vero est „aversio cum opinione damni secuturi", [7]) aversio vero est conatus recedendi a re aliqua", [8]) conatus autem terminatur in motu, [9]) et sic religio nihil aliud est nisi aliquis motus (negativus-aversio) in corpore nostro. Omnia procedunt a motu, omnia sunt motus et omnia terminantur in motu, nimirum tota „vita est motus perpetuus, qui cum recta via progredi non potest convertitur in motum circularem", [10]) eo magis igitur vita religiosa. Revera fieri non potest, quin hic admirer

[1]) Lev. c. 31, p. 169.
[2]) Lev. c. 31, p. 169.
[3]) De Hom. c. 14, a. 10. p. 81.
[4]) De Hom. c. 14, a. 11, p. 82.
[5]) Lev. c. 5, p. 20.
[6]) Lev. c. 6, p. 28.
[7]) Lev. c. 6, p. 27.
[8]) Ibid p. 26.
[9]) cf. Lev. c 6. p. 25.
[10]) De Hom. c. 11, a. 15, p. 68.

Hobbesii subtilitatem in considerando strictum processum dialecticum a principio posito, quamvis falso, et accomodationem ad temporis negotia et omnes circumstantias.

3. Libertas individualis illimitata.

Genesim libertatis iuxta Hobbesium hoc modo breviter indicare possumus. Motus parvus, intra humanum corpus situs, ortus ad imagine, vocatur conatus, [1]) qui, quando versus causam suam movetur appetitus vocatur et e contrario aversio. [2]) Harum passionum aggregatum deliberatio vocatur, [3]) actus vero ultimus in deliberatione — voluntas nominatur, [4]) quae est actus non potentia volendi; [5]) absentia impedimentorum ad voluntatem implendam — libertas vocatur. [6]) Ex hoc recte infert Hobbesius: „quando dicimus Liberum esse alicui Arbitrium hoc vel illud faciendi vel non faciendi, semper intelligendum est cum apposita condicione hac, si voluerit; nam ut quis liberum arbitrium habeat faciendi hoc vel illud utrum velit necne, absurde dicitur", [7]) quia „Libertas talis ut a necessitate libera sit neque hominum neque brutorum voluntati convenit", [8]) et ulterius: „quod si per libertatem intelligamus facultatem, non quidem volendi, sed quae volunt faciendi, ea certe libertas utrique concedi potest et cum adest, aeque utrique adest". [9]) Hanc descriptionem libertatis quam intime connecti cum promulgato principio ipsius: „movens incorporeum nullum est". [10]) Remanet proinde pro libertate facultas faciendi id, quod deliberatio necessario determinavit et quidem libere eo sensu, quia nulla sunt impedimenta exteriora. Talis vero libertas, qua unusquisque gaudet ad naturae suae conservationem, ad suo arbitrio utendum, et per consequens, ad illa omnia quae illi facienda videbuntur, ab Hobbesio ius naturale vocatur. [11]) Proinde ubi absunt impedimenta exteriora, ibi, iuxta Hobbesium, libertas integra est.

---

1) Lev. c. 6. p. 25.
2) Lev. ib. 1, c.
3) Lev. c. 6, p. 30. Phys c. 25, 13, p. 202. De Hom. c. 11, a. 2, p. 63.
4) Lev. c. 6, p. 30.
5) Lev. l. c.
6) Lev. c. 14, p. 66. Ibid. c. 21, p. 104. De Cive c. 9, a. 9, p, 66.
7) De Hom. c. 11, a. 2, p, 63. cf. Lev. c. 21, p. 104, et Lev. c. 46, p. 321, 322.
8) Phys. c. 25, a. 13, p. 202.
9) Phys ib. p. 203.
10) Phys c. 26, a. 7, p. 213.
11) cf. Lev. c. 14, p. 66.

In statu naturali quia ibi est vera „absentia impedimentorum externorum" et homo quidquid vult facere potest, — libertas integra est. [1]) Immo in statu naturali omnes homines natura inter se aequales sunt. [2]) „Tum Corporis, tum Animae facultatibus adeo aequales inter se produxit Natura homines, ut quamvis alii aliis viribus aut ingenio praestent, si tamen omnia simul considerentur, differentia tanta non est, ut promittere sibi commodi quicquam possit unus, quod alius sperare aeque non potest", etc. [3]) „Inaequalitatem quae nunc est, puta a divitiis, a potentia, a nobilitate generis, profectam esse a lege civili". [4]) In statu absolutae libertatis „omnia esse omnium" patet, i. e. „natura dedit unicuique jus in omnia". [5]) „Quoniam enim, quaecunque quis voluerit, ideo bona sibi videntur quia ea vult,.. sequitur, omnia habere et facere in statu naturae omnibus licere. Et hoc est quod vulgo dicitur, **Natura dedit omnia omnibus.** Ex quo etiam intelligitur, in statu naturae Mensuram juris esse **Utilitatem".** [6])

Sed ex hac aequalitate iuris naturalis ad omnia nascitur mutua se laedendi voluntas. [7]) „Voluntas laedendi omnibus quidem inest in statu naturae, sed non ab eadem causa, neque aeque culpanda. Alius enim secundum aequalitatem naturalem permittit caeteris eadem omnia, quae sibi.. Alius superiorem se aliis existimans, omnia licere sibi soli vult, et prae caeteris honorem sibi arrogat.. Huic igitur voluntas laedendi est ab inani gloria et falsa virium aestimatione; illi ex necessitate res suas et libertatem contra hunc defendendi". [8]) Proinde „quoties.. duo idem cupiunt, quo frui ambo non possunt, alter alterius hostis sit, et ad finem sibi propositum, quae est conservatio propria, alter alterum conatur subjugare et interficere". [9]) Hanc ob causam exurgit bellum omnium contra omnes: „negari non potest, quin status hominum naturalis antequam in societatem coiretur. Bellum fuerit; neque hoc simpliciter, sed bellum omnium in omnes". [10]) Proinde et

---

[1]) cf. Lev. c. 31, p. 166.
[2]) cf. De Cive c. 1. a. 3, p. 4. Ibid C. 3. a. 13, p. 21-22.
[3]) Lev c. 13, p, 63. De Cive c. 1, a. 3, p. 4.
[4]) De Cive c. 1, a. 3, p. 4. Lev. c. 15, p. 76.
[5]) De Cive c. 1, a. 10, p. 6.
[6]) Ibid. p. 6.
[7]) cf. De Cive c. 1, a. 4, p. 4.
[8]) De Cive l. c. p. 4.
[9]) Lev, c. 13, p, 63.
[10]) De Cive c. 1, a. 12, p. 6—7. Ib. a. 15, p. 8.

„conservatio sui diuturna expectari non potest", [1]) in statu libertatis, quia nemini in statu absolutae libertatis fit injuria, nam unicuique ius est ea omnia facere et possidere, quae ipse ad sui conservationem necessaria esse iudicat. Et propterea „ipsius facientis judicio id quod fit jure fit, vel injuria, itaque jure fit", [2]) quia „in statu naturae Justum et Injustum non ex consilio et conscientia agentium aestimandum est". [3]) Et deinceps „in statu mere naturali, si occidere cupis, jus habeas ex ipso statu". [4]) In statu igitur absolutae libertatis ius fortioris praevalet. „Potest autem victor victum, vel fortior debiliorem, ut sanus et robustus infirmum, vel maturus infantem, ad praestandam cautionem futurae obedientiae, ni velit potius mori, j u r e cogere.. Ex quo intelligitur.. in statu hominum naturali, potentiam certam et irresistibilem jus conferre regendi, imperandique in eos, qui resistere non possunt, adeo ut omnipotentiae, ab ea causa, omnium rerum agendarum jus essentialiter et immediate adhaereat". [5])

Haec omnia necessario sequuntur ex conceptione ipsius libertatis necnon, si altius ascendamus, ex philosophia motus. Superior gradus religionis et libertatis evolutae est in statu sociali.

---

[1]) De Cive c. 1, a. 15, p, 8.

[2]) DeCive c. 1, a. 10, adnotatio.

[3]) cf. Lev. c. 15, p, 74.

[4]) De Cive c. 2. a. 18, p. 14.

[5]) De Cive c. 1. a. 14 p. 8.

Caput IV. Religio et libertas in statu sociali.

Status quaestionis. Sicut supra demonsratum est, Hobbesius religionem naturalem a metu potentiarum invisibilium et cultum naturalem, Deo proprio modo concepto, a ratione naturali, quae est iuxta ipsum, ipsius Dei vox naturalis, originem duxisse docet. Eodem modo et religionem positivam a ratione naturali ducit et praebet nobis imaginem religionis positivae, quae magis perfecta est et magis libera quam in statu naturali, suo modo singulas quaestiones religionis positivae illuminat et cum suae philosophiae fine intime connectit. Sed ibi recta ratio sumitur alio sensu, nempe pro lege divina positiva, qua religio positiva, nititur tum per pactum vetus tum per pactum novum. Nullam vero contradictionem esse inter ipsius rectam rationem et legem divinam positivam, clare patet ex illis quae de identitate legis naturalis et divinae dicta sunt, immo ex identitate Dei cum natura universali. Libertas etiam status socialis perfectior nam securior fit, etiamsi ortum suum ex metu habet. Tota vita humana in hoc statu per contractus magis magisque moralis fit.

His attentis, quaestionem totam tractamus ordine sequenti: Divisio:

1. Religio positiva iu vetere pacto.
2. Religio positiva in novo pacto.
3. Libertas socialis.

1. Religio positiva in vetere pacto.

Praenotamen. Antequam de ipsa religione positiva dicamus, exponamus breviter quid Hobbesius senserit de valore S. Scripturae, qua ad probandam doctrinam suam saepe utitur.

„Ut omittamus, ait Hobbesius, quod Verbum Dei in Scriptura sacra ponitur aliquando pro Filio Dei, accipitur ea vox tripliciter [1]) Verbum rationale, Verbum sensibile, et Verbum Propheticum. Quibus respondit tres modi quibus audire Deum dicimur, Ratiocinatio recta, Sensus et Fides“. [2]) Verbum Dei sensibile, sive revelatio immediata, et verbum propheticum, quod

---

[1]) De Cive c. 17, a. 15. p. 148.cf. Lev. c. 36, p. 194, 195.
[2]) De Cive c. 15, a. 3, p. 112.

fit „per vocem alicuius hominis, quem Deus per vera miracula edita, ut fide dignum, caeteris commendavit", [1]) rursus accipitur tripliciter: „primo propriissime pro eo, quod Deus loquutus est: sic verbum Dei est quidquid loquutus est Deus ad Abrahamum et Patriarchas, Mosen et Prophetas . . [2]) vel Servator noster ad discipulos, et alios quoscunque. Secundo, quicquid dictum est ab hominibus jussu vel impulsu Spiritus sancti; quo sensu agnoscimus, Scripturas sacras esse Verbum Dei. Tertio quidem in novo testamento frequentissime Verbum Dei significat doctrinam Evangelicam, sive verbum de Deo. [3]) Verbum Dei quando sumitur pro eo quod loquutus est Deus, significationem habet interdum Propriam interdum Tropicam. Propriam, ut verba quae loquutus est ad prophetas suos; Tropicam, quando ponitur verbum pro sapientia seu Potentia Dei, vel pro decreto ejus aeterno de condendo mundo . . hoc sensu Verbum Dei est Fiat lumen, Fiat firmamentum . . [4]) Cum itaque Hobbesius Sacram Scripturam esse verbum Dei agnoscere videatur, cumque ratio humana verbum Dei sit, manifestum est verbum Dei sibimetipsi contradicere non posse. [5]) Proinde, iuxta illum, omnes loci difficiliores et omnia misteria fidei, accipi debent sicut „pillulae quas morbo laborantibus praescribunt Medici, si deglutiantur integrae, sanant, mansae autem plerumque revomuntur", [6]) sed non ut assensus intellectus: „subjectio . . intellectus non ita intelligitur, ac si teneretur aliquis, alicuius alterius sententiae consentire . . Intellectus tunc subjicere dicendi sumus, quando illis, quorum est de doctrinis statuere, non contradicimus", [7]) nempe summae potestati civili. Ex eo autem quod „qui Summam habent in Civitate sua Potestatem solos legislatores esse; sequitur Libros illos solos Canonicos, . . quae Summi Imperantis Authoritate latae sunt", [8]) etiam et potestatem eas interpretandi esse illius iuris, cuius iuris est illas pro „canone" agnoscere, [9]) immo „is solus qui

---

1) De Cive c. 15, a. 3, p. 112.
2) cf. Lev. c. 36, p. 196.
3) De Cive c. 17, a. 15, p. 149.
4) Lev. c. 36, p. 195.
5) cf. Lev. c. 32, p. 173.
6) Lev. c. 32, p. 173,
7) Lev. ib. p. 173. cf. De Cive c. 17 a. 16, p. 149.
8) Lev. c. 33, p. 176.
9) De Cive c. 17, a. 18 p. 150.

Summam habet in civitate Christiana potestatem, scire supponatur, quid sit, quod Deus loquntus est; id est solus Divini Verbi interpres existimandus est". [1]) Cuius suppositionis consequentia naturalis est: „illum qui Regem suum Christianum audit, audire Christum; illumque, qui doctrinam Regis sui Legibus confirmatam aspernatur, ipsum Christum aspernari". [2])

Sumamus nunc Hobbesii doctrinam de religione positiva. „Placuit..divinae majestati,. docet Hobbesius, ex genere humano unum per quem ad verum sui cultum homines perduceret, evocare Abrahamum: illi se supernaturaliter revelare; et cum illo atque illius semine celeberimum illud inire Pactum, quod appellatur Pactum, et Foedus, et Testamentum Antiquum.. ab eo Regnum Dei per Pacta initium sumit", [3]) qui „hac formula initum est: (Gen. 17, 7-8) Statuam pactum meum inter me et te, inter semen tuum post te in generationibus suis foedere sempiterno, ut sim Deus tuus et seminis tui post te in sempiternum. Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuae, omnem terram Chanaan in possessionem aeternam. Quo vero Abrahamus, et semen ejus memoriam foederis hujus conservare posset necessaria erat signi institutio. Adjecta ergo est pacto Circumcisio, sed tamen ut signum tantum ... Hoc pactum non erat superfluum inire cum Abrahamo, qui agnovisset Deum creatorem mundi esse, quia in hoc latet agnitio divinae potentiae et quidem non indefinite ut fit per rationem naturalem, sed definite illum, qui dixerat ipsi, Gen. 12,vers. 34, Egredere de terra etc. quod fidei est". [4]) „Qua specie apparuit Deus Abrahamo, quali sono eum allocutus sit, non explicatur; constat tamen, credidisse Abrahamum, vocem illam fuisse vocem Dei, et revelationem veram, et voluisse a suis coli illum, qui sic eum allocutus erat, pro Deo universi creatore... Et Deum Abrahami significare, non simpliciter Deum sed Deum, illi apparentem, quemadmodum cultus quem Abrahamus debebat Deo, eo nomine non erat cultus rationis, sed religionis et fidei"., [5])

---

1) Lev. c. 40, p. 220. cf. Lev. c. 42, p. 243.

2) Lev. c. 42, p. 268.

3) De Cive c. 16, a. 1. p. 124. vide ibid. c. 16, a. 2, p. 124.

4) De Cive c. 16, a. 4, p.. 125.

5) ibid. p. 126.

Quaenam sunt leges positivae in hoc pacto? Nullae, excepto mandato de circumcisione, quod in ipso pacto continetur. „Ex quo manifestum est, non fuisse alias leges, aut cultum quibus Abrahamus tenebatur, praeter leges naturales, et cultum rationalem, et circumcisionem". [1]) Hoc autem pacto renovato a populo israelitico ad montem Sinai, regnum Dei primo constitutum est: „ab hoc tempore initium habet celeberrimum illud in Scripturis sacris et scriptis Theologorum Regnum Dei". [2]) Quaenam sint leges in isto regno Dei?.. „omnibus notae sunt, nimirum Decalogus, et illae aliae tam judiciales quam ceremoniales, quae habentur a vicesimo capite Exodi usque ad finem Pentateuchi". [3]) Harum vero tres species dantur: a. quae naturaliter obligant, quas scilicet observari oportere ratio dictat, b. quae obligant vi pacti initi cum Abrahamo, et c. quae „obligant ex pacto illo solo quod postremum initum est cum ipso populo, utpote latae a Deo quatenus Rege peculiari Israelitarum". [4]) Ad primam speciem legum refert Hobbes „omnia praecepta Decalogi, quae pertinent ad mores, qualia sunt: Parentes honorabis, non occides; non moechaberis; non dices falsum testimonium, non concupisces. Sunt enim leges naturales. Praeterea praeceptum de non assumendo Dei nomine in vanum; est enim pars cultus naturalis. Item secundum de non adorando per imaginem a se ipsis factam; est enim et hoc religionis naturalis... Secundi generis est praeceptum Decalogi primum, de non habendis diis alienis: eo enim consistit essentia pacti Abrahami.. Item praeceptum de sanctificando sabbato... Tertii generis sunt leges politicae, judiciales, ceremonialesque, quae spectabant ad Judaeos solos". [5])

Ex eo autem, quod Deus per revelationem supernaturalem religionem instituit et per leges sibi regnum peculiare condidit, infert inter dominium temporale et spirituale distinctionem nullam esse et hanc conclusionem ad unamquamque rempublicam extendit. [6]) Et sicut ethnicorum religio rerum civilium partem constituit, ita apud Israelitas: „Politica pars religionis est, et Praecepta continet, qualia illis conveniunt qui in Civitatem Dei admittuntur". [7])

---

[1]) De Cive c. 16. a. 5, p. 126.
[2]) De Cive c. 16, a. 9, p. 127.
[3]) Ibid. a. 10, p. 128.
[4]) Ibid. l. c. p. 128.
[5]) Ibid. l. c. p, 128.
[6]) cf. Lev. c. 12, p, 62,
[7]) Lev. c. 12, p. 57.

2. Religio positiva in novo pacto.

a. De Jesu Christo. b. De Ecclesia Christi.

a. Quid Hobbesius de Jesu Christo senserit, ex doctrina ipsius de persona et de spiritu conjicere possumus. De persona enim in genere dicens, docet: „Persona est is, qui suo vel alieno nomine res agit", [1]) et de persona Christi addit: „Personam Dei gessit Jesus Christus", [2]) ex quo necessario infertur Jesum Christum, iuxta Hobbesium, esse actorem et gerere personam Dei, i. e. agere nomine Dei sicut Abraham, Moses etc. Inde sequitur, Jesum Christum non esse secundam Personam SS. Trinitatis eo modo, quo a fide christiana id esse concipitur. Deinde de substantiis incorporeis, quas, ut vidimus, ipse non admittit, sententiam de Christo infert, ex qua patet, Jesum esse hominem at praeditum aliqua gratia excellentiore. [3]) Ad bene intelligendos illos locos, in quibus Christum laudare videtur, publica confessio fidei prout a Hobbesio docetur, nobis ante oculos proponenda est: quando ad fidei confessionem ventum erit, Privato Judicio amplius locus nullus est", [4]) sed externe sequenda est opinio imperantis. [5]) Proinde caute sumi debet ea omnia quae ab ipso dicta sunt de Jesu Christo, qui „missus est ad Judaeos revocandos ad Regnum Dei, et vocandas gentes" . . [6]) Videamus igitur quid de Jesu Christo eiusque officio doceat.

„Imperante Tiberio Caesare praedicare coepit Servator noster JESUS Galilaeus, filius, ut putabatur, Josephi, annuncians populo Judaeorum Regnum Dei ab ipsis expectatum appropinquasse; et esse se Regem, id est, CHRISTUM ILLUM; Legem explicans; Apostolos duodecim, et discipulos septuaginta, secundum numerum Principum tribuum et septuaginta Seniorum, ad similitudinem Mosis, in ministerium assumens; viam salutis per se et per illos docens; Templum purgans, signa ingentia faciens, et ea omnia adimplens, quae Prophetae de futuro Christo vaticinati fuerant. Hunc Pharisaeis, quorum doctrinam falsam, et simulatam sanctitatem reprehenderat, et per eos populo invisum, regni affectati accusatum, et crucifixum, descripta eius Genealogia, nativitate, vita, doctrina, morte et resurrectione, comparandoque

[1]) Lev. c. 16, p. 79.
[2]) Lev. c. 16, 81.
[3]) cf. Lev. c. 34, p. 186.
[4]) Lev. c. 37, p. 207.
[5]) cf. Lev. c. 37, p. 207.
[6]) Lev. c. 42, p. 252.

ea quae fecit, cum iis quae praedicta fuerunt, verum fuisse Christum, et Regem a Deo promissum, et ad renovandum inter ipsos et Deum Pactum novum a Deo Patre missum, et ostendunt Evangelistae, et Christiani omnes consensiunt". [1]) Estne Jesus Christus Deus — Homo, secunda persona SS. Trinitatis? Nequaquam! „Ubi enim in Scriptura Sacra, ait Hobbesius aut in ipso Symbolo Niceno tres esse Hypostases, id est, tres Substantias, id est, tres Deos, aut aliud quod tantundem valet?" [2]) Sed cur Hobbesius Jesum Christum Servatorem esse dicit? „Rationis naturalis est, ait, cum Mors et Miseria, punitio fuerit peccatorum, ut remissio obolitio esset mortis et miseriarum, et proinde Salvari et peccata sibi remitti eadem res sit; et ab hac remissione peccatorum per mortem Christi est, quod Christum appellamus Servatorem nostrum". [3]) At quali potestate, iuxta Hobbesium fuit praeditus Christus? „Non habuit CHRISTUS a Patre sibi commissam autoritatem Regiam aut imperatoriam in mundo, sed consiliariam et doctrinalem tantum", [4]) habuisse, i. e. „mundo estendendi, et docendi viam et scientiam salutis, hoc est, praedicandi et explicandi, quid faciendum iis sit, qui in regnum coelorum intraturi sunt", [5]) 'quia „Servatoris nostri est.. quatenus a Patre missi, Coelestis civitatis futuros cives, etiam in hac vita ita regere, ut in illam pervenire et ingredi possint, etiamsi Regnum non eius proprie, sed Patris fuerit". [6]) Et „Servator noster missus a Patre Potentia a Patre data aliter uti non potuit, quam ad conversionem eorum tantum quos Pater ejus non reprobaverat". [7]) Ultima ratio adventus Christi in mundum, iuxta Hobbesium, fuit haec: „ut Deo Patri per Pactum novum, restitueret Regnum, quod a populo in Electione Sauli rejectum fuerat". [8]) Proinde et „officii Servatoris nostri summa erat, viam docere, et media omnia ad salutem et vitam aeternam. Mediorum autem ad salutem unum est, **Justitia** et **obedientia civilis** et observatio omnium legum naturalium". [9]) Haec in Leviathano ulterius explicat, dicens: „officii Servatoris nostri reperimus in Scripturis Sacris tres partes: Primam Redem-

[1]) De Cive c. 17, a. 3, p. 138- 9.
[2]) Lev. c. 46, p. 317.
[3]) Lev. c. 38, p. 214.
[4]) De Cive c. 17, a. 6, p. 142.
[5]) De Cive ib. p. 141.
[6]) De Cive ib. p. 141.
[7]) Lev. c. 37, p. 205.
[8]) Lev. 41, p. 228.
[9]) De Cive c. 17, a. 13, p. 147.

toris, sive Servatoris; secundum Pastoris, sive Consiliarii, id est Missi a Deo ad Conversionem Electorum Prophetae. Tertiam Regis, Aeterni Regis sed sicut Moses, et temporibus suis Summi Sacerdotes, sub Patre suo. Atque his tribus partibus respondent tria tempora. Nam in primo ejus adventu, per sui ipsius propter peccata nostra Oblationem in Cruce nos redemit conversionem nostram operatus est, partim ipse, dum erat in terris, docendo; partim operatur nunc per Ministros suos. Post adventum ejus secundum regnabit super Electos suos, et Regnum ejus durabit in aeternum". [1])

Pactum vero novum his conditionibus, iuxta Hobbesium, constitutum est: „ex parte hominum, ut Deo servirent Abrahami eo ritu, quem doceret Jesus; ex parte Dei ut remitteret illis peccata, et in Regnum Coeleste ipsos introduceret.. Quod requiritur ex parte Hominum, nempe servire Deo, prout docuerit CHRISTUS, duo continet **obedientiam Deo praestandam,** hoc est enim servire Deo, et **Fidem** in JESUM. nempe ut credamus, JESUM esse ILLUM CHRISTUM, a Deo promissum; ea enim sola causa est, quare illius potius quam alterius sequenda sit doctrina". [2]) „Quod autem (in pacto novo)... requiratur Baptismus, intelligendum est, sicut circumcisio erat, ad pactum vetus; ita esse Baptismum ad pactum novum. Cum ergo illa non ad essentiam, sed ad memoriam pacti veteris, ut ceremonia ad signum pertinuerit.. similiter etiam haec, non ad essentiam initi foederis novi, sed ad memoriam et signum adhibita est; et modo voluntas adsit, per necessitatem omitti quoad actum potest; Poenitentia autem et Fides, quae de essentia pacti sunt, semper requiruntur". [3]) Quod vero fidem attinet, unum tantum articulum fidei necessarium esse dicit, nempe quod Jesus est Christus", et hoc sequenti modo explicat. „Per nomen.. Christi intelligitur Rex ille quem Deus per Prophetas Veteris Testamenti, missurum se esse in mundum, promiserat, ut regnaret in Judaeos, et gentes alias in illum credituros; et qui vitam aeternam, quam perdideramus in Adamo, restitueret". [4]) „Cum ergo Fides et Obedientia utraque necessaria sit ad salutem, quaestio, utra earum justificet, frustra disputatur.. Si per Justitiam intelligatur Justitia operum, justificari qui Legem Dei semel trans-

---

[1]) Lev. c. 41, p. 226. cf. ibid. c. 45, p. 308. De Cive c. 17, a. 13 p. 147-8.

[2]) De Cive c, 17, a. 7, p, p. 142, 143.

[3]) De Cive ib. pp. 143, 144.

[4]) Lev. c. 43, p. 283. cf. Lev. c. 47, p. 326-7.

gressus est, potest nemo. Intelligenda ergo est Justitia hominis Legem Dei observare conantis. Voluntatem enim accipit Deus pro ipso opere". [1]) Proinde, „qui credunt in Jesum Christum, Fides sola, in hac verbi acceptatione, justificare dici potest; adeo ut Fides et Obedientia utraque justificent, sed in diversa significatione vocis Justificare". [2]) In his duabus conditionibus, iuxta Hobbesium, continetur essentia Christianismi, i. e. Novi Testamenti, quod verum Christianismum non esse, patet, quae etiam tractatu secundae partis huius quaestionis confirmabuntur.

b. De Ecclesia Christi.

In primis videndum est quid proprie significet apud Hobbesium „Ecclesia." „Ecclesia, ait.. cui atribuuntur personalia, et propria jura actionesque, et de qua necesse est intelligi illa: dic Ecclesiae; qui non obedierit Ecclesiae; et hujusmodi omnes loquendi formulas; definienda ita est, ut intelligatur ea voce multitudo hominum qui Pactum novum cum Deo per Christum inierunt, hoc est, multitudo eorum, qui susceperunt Sacramentum Baptismi, quae multitudo et jure in unum locum convocari possit ab aliquo, et eo convocante, adesse omnes vel per se vel per alios obligantur„. [3]) Et ita iuxta Hobbesium Ecclesia nihil aliud est quam multitudo baptisatorum in uno loco jure convenientium; quid sit vero jure et absque jure, m. e. ad civitatem spectat. „Manifestum est, ait, Ecclesiam nullam legitimam esse posse (,sc. congressum) quae Aucthoritate illius non sit convocata, qui summam habet in Civitate Potestatem". [4]) Et deinde suam definitionem Ecclesiae Christianae praebet: „Ecclesia Christiana est Coetus hominum Religionem Christianam profitentium, unitorum in persona una summam habentem Potestatem, cujus jussu convenire debent, et cujus injussu convenire non debent". [5]) „Nam multitudo hominum si coire in unum coetum, ubi opus est, non potest, una persona dicenda non est". [6]) Ex his manifeste apparet ipsum sentire, multitudinem credentium ita auctam ut uno loco congregari non possit, iam non unam ecclesiam constituere sed in tot ecclesias dividi quot sunt coetus.

---

1) Lev. c. 43, p. 287.
2) Lev. c. 43, p. 288.
3) De Cive c. 17, a. 20. p. 151.
4) Lev. c. 39, p. 218.
5) Lev. ib. p. 218.
6) De Cive c. 17, a. 20, p. 151.

Hic duorum conceptuum idemtificatio latet: coetus omnium credentium, et coetus aliquorum credentium; sumitque ipse Ecclesiam tum in uno tum in alio sensu. Ex eo autem, quod „quae a singulis dicta sunt, nempe tot sententiae fere, quot capita", et ex eo, quod „nemo eorum qui adsunt in tumultu, decreto caeterorum tenebitur, praesertim si dissenserit", [1]) diversae Ecclesiae christianae initium sumunt, dummodo a civitate permittantur. Cum ergo, iuxta Hobbesium, ad constituendam Ecclesiam omnium christianorum „coetus" requiratur, cumque hic haberi nequeat, nullam universalem Ecclesiam dari posse, manifestum est. Huc accedit, quod Ecclesiam christanam et civitatem christianam eamdem rem esse vult, solum „duobus nominibus propter duas causas appellatam... Quae vero civitas vocatur, quatenus constat ex hominibus, eadem quatenus constat ex christianis, Ecclesia nominatur". [2]) Et rursus: „manifestum.. est nullam in terra esse Ecclesiam universalem, quam audire obligantur Christiani universi cum nulla sit in terra Civitas aliorum Civitatum omnium Domina.. Ecclesia ergo cui Potestas est Judicandi, Absolvendi, Condemnandi, aut actionem quamcunque agendi, eadem res est cum Civitate".. [3]) Quare regimen Temporale et Spirituale verba inania sunt iutroducta eo fine, ut propter duos Status apparentes minus cognoscerent homines, utri eorum obedientiam praestarent". [4]) Judicat enim de doctrinis fidei nemo praeter Ecclesiam, id est, praeter illum, qui personam gerit Ecclesiae, id est praeter Regem, si sit Christianus". [5]) „Et sic in Civitatibus Christianis judicium et spiritualium et temporalium pertinet ad auctoritatem civilem. Et is homo vel coetus qui summum habet imperium, caput est et civitatis et Ecclesiae: una enim res est Ecclesia et civitas Christiana". [6]) Haec est igitur doctrina Hobbesii de „Ecclesia", quam esse Ecclesiam civitatis, sed nequaquam Ecclesiam Jesu Christi patet. Ecclesia enim universalis „neque habet rectorem ullum in terris cujus jussu convenire et deliberare possit. Nam rectorem esse Ecclesiae universalis, et posse eam convocare,

[1]) De Cive c. 17, a. 20, p. 115.
[2]) De Cive L, C, p. 152.
[3]) Lev. c. 39, p. 218.
[4]) Lev. ibid p, 218.
[5]) Lev. c. 43, p. 288.
[6]) De Cive c. 17, a. 28. p. 162.

idem est, ac rectorem esse et dominum omnium per universum orbem Christianorum, id quod nemini conceditur, praeterquam soli Deo". [1]) Ex supradictis necessario sequitur, habentem summam potestatem civilem in sua civitate summum ecclesiae rectorem esse: „Princeps summus, si Christianus sit, hoc amplius habet ut civitas, cujus voluntas continetur in ipsius voluntate, id ipsum sit, qnod vocamus Ecclesiam". [2]) Cumque penes civitatem civilem sit summa potestas in Ecclesiam, sequitur ad eandem munus contraversias determinandi spectare. Propterea et cultum publicum determinare, cujus uniformitatem in civitate, iuxta Hobbesium, imperat ratio naturalis, est munus illius qui summam potestatem civilem habet, „nam quae actiones fiunt a singulis secundum rationem privatam, eae actiones civitatis non sunt, neque ergo civitatis cultus, quod autem fit a civitate, fieri intellitur ejus, vel eorum qui summum habent imperium"... [3]) neque Justum, aut Injustum in Moralibus quicquam est, nisi id quod ita factum est per Leges Civiles". [4]) „Sequitur ergo legibus illis non Occides, non Moechaberis, non Furabere, Parentes honorabis nihil aliud praecipisse (sc. Deus) quam ut cives et subditi suis principibus et summis Imperantibus in quaestionibus omnibus, circa meum, tuum, suum, alienum, absolute obedirent". [5])

Regnum Dei vero proprie dictum initium habebit „ab eo tempore.. in quo Deus oves ab haedis separabit.. id est in secundo Christi adventu, sive die juditii ultimi", [6]) quando „Servator noster victis Adversariis Civitatem constituet Spiritualem et Aeternam". [7]) Cum itaque regnum Dei non sit praesens sed futurum, manifestum est, „Apostoli.. Potestatem majorem non habuere quam ipse Christus, ait ille, nempe invitandi homines ad Regnum Dei, quod non praesens, sed futurum esse praedicaverunt ipsi; qui autem Regnum non habent praesens, Leges ferre non possunt". [8]) Manent solum leges a ratione naturali derivatae et leges civiles. [9]) „In Regno Dei post hanc vitam leges futurae nullae sunt; tum quia neque legibus locus est, ubi peccato non est, tum etiam quia

[1]) De Cive c, 17, a. 26, p. 159. cf. Lev. c. 42. p. 275.
[2]) De Cive ib p. 159.
[3])De Cive c. 15, a. 15, p. 119.
[4]) Lev. c. 42, p. 266.
[5]) De Cive c. 17, a. 10 p. 145.
[6]) De Cive c. 17, a. 5, p. 140.
[7]) Lev. c. 42, p. 276.
[8]) Lev. c. 42, p. 248.
[9]) cf. De Cive c. 17, a. 8, p. 144.

leges a Deo nobis datae sunt, non ut in coelo sed ad coelum dirigimur". [1])

Videamus etiam quid de potestate ecclesiastica Hobbesius dicat. Tempus christianismi in duas aetates distinguit: a. ante, et b. post „quam Reges ulli, vel Coetus Summa Potestate praediti, Christi fidem amplexi essent". [2]) „De priori tempore in confesso est, Potestatem Ecclesiasticam totam fuisse in Apostolis; et ab his transire ad eos qui ab Apostolis.. constituti fuerant". [3]) Potestas tamen civilis, iuxta ipsum, est fons potestatis omnis in civitate et in Ecclesia, et ejus est eligere et instituere ecclesiasticos, „qui munus in Ecclesia exercent publicum". [4]) Et cum, iuxta Hobbesium, omnis potestas in habentibus summam potestatem civilem resideat, et tantum ab eorum voluntate fiant leges civiles et ecclesiasticae, necessario infert: Testamentum novum ante Constantinum Magnum .. nemini potuit esse lex; repugnat enim naturae legis .. Non potuere .. Apostoli ipsi facere, ut Doctrina eorum vim haberet Legum, sine voluntate eorum, qui in Civitatibus suis summam habuere Potestatem", [5]) quia „fides interna per naturam suam invisibilis est, ideoque ab omni Jurisdictione humana exempta", [6]) et eodem jure quo aliquis christianus quid legem vel canonem sibi fecit, eodem jure id etiam rejicere potuit. [7]) „Testamentum ergo novum in iis locis tantum lex est, in quibus ita a Summa Potestate Civili facta est. In illis autem Reges ipsi eidem legi se submittunt, non autem Doctori, vel Apostolo, a quo conversi erant, sed ipsi Deo, et Filio suo Jesu Christo, immediate". [8]) Ab eodem principio scilicet absolutismo potestatis civilis praedens, Hobbesius docet: „qui autem ad unamquamque doctrinam, quam ipse ab Historis, vel ab actis, aut Epistolis Apostolorum deduxerit; et qui privati hominis authoritate confisus Leges Civiles violare ausus fuerit, is ab honore Martyris Christi .. longe abest. Unicus articulus Fidei est, pro quo mori Martyris nomen honorificus meretur. Est autem articulus ille, Jesum esse Christum, id est qui nos morte

---

1) De Cive c. 17, a. 8, p. 144.
2) Lev. c. 42, p. 231, 232.
3) Lev. c.42, p. 231.
4) De Cive c. 17, a 23, p. 153. cf. Lev. c. 42, p. 233.
5) Lev c. 42, p. 247·
6) Lev. ibid. p. 247.
7) Lev. c. 42, p. 246.
8) Lev. c. 42, p. 247·

sua redemit, et venturus iterum est ad nos in Regno Coelesti vitam aeternam procuraturus est". [1])

Has quaestiones a nobis longius elucidatas ipse leviter attingit ea ratione, ut omnia ad unitatem reduceret et „evolutae" rationi naturali, quae iuxta illum maximum evolutionis gradum habet in voluntate summae potestatis civilis, submitteret.

His consideratis, videamus doctrinam Hobbesii de libertate sociali.

3. Libertas socialis.

Status belli omnium contra omnes non potest ad infinitum perdurare, „nam unusquisque naturali necessitate bonum sibi appetit, neque est quisquam qui bellum istud omnium contra omnes . . sibi existimat esse bonum". [2]) Et proinde, ad „e tali statu exeundum quaerendos socios putemus, ut si bellum habendum sit, non sit tamen contra omnes, nec sine auxiliis". [3]) Et hic incipit limitatio libertatis absolutae et quidem duplici nodo: vi et consensu. „Vi, quando pugna victor victum servire sibi cogat metu mortis, vel vinculis inditis; consensu, quando societas initur mutuae opis causa, consensiente utraque parte sine vi", [4]) licet „omnis societas vel commodi causa, vel gloriae, hoc est, sui, non sociorum amore contrahitur". [5]) Inde initium vitae socialis gignitur, quod quidem cogente natura fit: „homines alterum alterius congressum natura cogente appetere non nego", [6]) etsi „ad societatem homo aptus, non natura sed disciplina factus est". [7]) Sed unusquisque dum socios quaerit, necessario ab inutili jure ad omnia renuntiare debet, „nam effectus ejus juris idem pene est, acsi nullum omnino jus extiterit", [8]) quanquam, dum „in rem aliquam Jus suum deponit, i. e. qui libertate illa re se privat quam habet caeteros impediendi quo minus quilibet eorum Jure suo utatur in rem eandem, nam qui Jure suo renuntiat, vel Jus suum transfert, Jus novum quod per Naturam non ante habuit nemini tribuit, quia omnibus in omnia Jus erat; sed cedit ei tantnm, eo fine ut Jus quod ante habuit sine impedimento a

---

[1]) Lev. c. 42, p. 235.
[2]) De Cive c, 1, a. 13, p. 7.
[3]) De Cive c, 1,a. 13, p. 7. Lev. c. 15, p. 73.
[4]) De Cive c. 1. a. 14, p. 7.
[5]) De Cive c. 1. a. 1. p.1.
[6]) De Cive c. 1. a. 2, adnot. p. 2.
[7]) De Cive c. ib. l. c.
[8]) De Cive c. 1, a. 11, p. 6.

se orto libere fruatur, a se inquam orto non ab alio. Itaque quod alteri accedit ex Jure alieno in se translato, nihil aliud est quam sublatio impedimentorum a parte solius transferentis". [1]) „Deponitur Jus vel simplici Renuntiatione, vel Translatione ad alium. Simpliciter renuntiat qui in medium abjicit, nemini tribuens. Transfert, qui certo alicui concedit". [2]) Ista „duorum vel plurium jura sua mutuo transferentium actio vocatur Contractus". [3]) Per contractum „libertas desinit (et) incipit obligatio", [4]) quae quidem triplex esse potest, nam „in omni contractu, vel uterque statim praestat id de quo contractum est, ita ut alter alteri nihil concredat; vel alter alteri creditur; vel neuter praestat". [5]) „Ubi uterque statim praestat ibi contractus simul ac praestitum est, finitur. Ubi vero vel alteri vel utrique creditur, ibi is cui creditur, promittit se praestiturum postea, appellaturque hujusmodi promissum Pactum". [6]) „Quando Translatio juris mutua est, contrahentium autem alter Jus vel Rem transfert, spe Amicitiae vel Officii ab eo cui transfert, vel existimationis causa apud alios, vel ex Charitate, talis Translatio Donatio et Gratia appellatur". [7]) Sed ut contractus validus sit requiruntur duo, nempe, „voluntas non modo transferentis, sed etiam acceptantis. Si alterutrum absit, jus manet". [8]) Et propterea cum illis qui acceptionem exprimere nequeunt, pacisci impossibile est, v. gr. cum belluis, propter defectum sermonis, neque — in statu naturali — „pacta inire quisquam cum divina majestate potest, neque illi voto obligari". [9])

Quaeramus nunc, quaenam sit ratio formalis praestandi ac servandi pacta etsi „verba per se homines ad Pactorum praestationem constringendi vim non habent". [10]) „Duo autem ei rei auxilia tantum sunt, nimirum Metus Damni a violatione Pacti, vel quia fallere, ut signum Impotentiae, dedignentur. Posterior haec causa Generositas adeo rara est, ut in rationes venire non debeat. Solus **Metus** considerandus est, isque duplicis generis,

---

[1]) Lev. c. 14, p. 67.
[2]) Lev. c. 14, p. 67; De Cive c. 2, a. 4, p. 10.
[3]) De Cive c. 2, a. 9, p. 11., cf. Lev. c. 14, p. 68.
[4]) De Cive c. 2, a. 10, p. 12.
[5]) De Cive ib. a. 9, p. 11
[6]) De Cive ib. p. 12.
[7]) Lev. c. 14, p. 68.
[8]) De Cive c. 2, a. 5, p. 10.
[9]) De Cive c. 2, a. 12, p. 12.
[10]) Lev. c. 14, p. 71.

quorum alter est Metus Potentiarum invisibilium, alter Metus Potentiae humanae; et prior quidem Metus est majoris Potentiae; posterior autem major Metus. Metus prior a sua cujusque Religione est, ineratque hominibus ante omnem Societatem Civilem. Posterior metus cum Civitatibus natus est; sed ad cogendos homines ad Pactorum praestationem non sufficit. In conditione enim Naturae differentia Potentiarum non discernitur, nisi per eventum Belli. Itaque ante Societatem Civilem, et quoties Societas Civilis per Bellum interrumpitur, nihil est, quo Pacta confirmari contra Cupiditates hominum melius possunt, quam Metus Agentis invisibilis, quem vocant omnes Deum, diversis ritibus adorantes. Ad firmanda ergo Pacta Paciscentibus necessarium visum est, ut per Deum quem metuebant Pacta sua se praestituros esse jurarent". [1]) Hoc essentiale pactorum elementum „metus" non solum „perterreri" significasse, sed „ea voce futuri mali prospectum quemlibet" comprehendi, Hobbesius asserit. Quod vero attinet materiam „sive Objectum Pactorum, semper aliquid est, de quo deliberari potest, propterea quod deliberatio, quae est actus voluntatis, intelligitur semper de futuro, et de eo, quod a Paciscente fieri possibile existimatur". [2]) Et propterea, „si quis se ipsum non defensurum esse contra vim paciscatur, Pactum invalidum est. Nam.. Jus se defendendi contra Mortem intentatam, vulnera, incarcerationem, quorum fugiendorum causa Jus in omnis naturali depositum est, deponere nemo potest.. Si quis paciscatur se ipsum accusare, nisi certus veniae fiat, Pactum invalidum est". [3]) A pactis vero duobus modis liberamur:" vel si praestitum, vel si condonatum sit. Si praestitum, quia ultra id nos non obligavimus. Si condonatum, quia is cui obligamur, condonando intelligitur facere ut jus a nobis in eum translatum, ad nos denuo redeat", [4]) quod est „libertatis restitutio, sive remissio Juris obligationem constituentis". 5) Accedit quod si, in conditione naturali, de praestando pacto aliqua suspicio interveniat, a pacto liberamur quia ipsum tunc invalidum est. [6]) Et quarto id fit deficiente metu, quia sola verba ad pactum praestandum non obligant. [7])

[1]) De Cive c. 1, a. 2, p. 4, adnotatio.
[2]) Lev. c. 14, p. 70. cf. De Cive c. 2, a. 14, p. 13.
[3]) Lev. c. 14, p. 70. 71, cf. ibid c. 14, p. 67.
[4]) De Cive c. 2, a. 15, d. 13. Lev. c. 14, p. 70.
[5]) Lev. c. 14, p. 70.
[6]) cf. Lev. c. 14, p. 69.
[7]) cf. Lev. c. 14, p. 71.

Et quia, secundum Hobbesium, ad hoc ut obligemur voto, requiritur voluntas obligantis aperte manifestata, [1]) in statu naturae nulla dantur vota; nam a. Deus voventi unicuique teneretur certissima revelatione suam voluntatem manifestare; b. quia id quod vovent aut est contra legem naturae, aut secundum legem naturae. Si „contra legem naturae sit, non tenentur **voto** quia illicitum praestare tenetur nemo; si vero id quod vovent, lege aliqua naturae praeceptum sit, non voto, sed ipsa tenentur lege. [2]) Itaque, neque pacta inire aliquis cum divina majestate potest, neque voto obligari. [3]) Pacta proinde solummodo inter homines dantur. Quanti pactum Abrahae vel Judaeorum cum Deo valeat, elucidata doctrina Hobbesii de Deo et de pactis, facile infertur, tanti scilicet quanti a singulis aestimatur.

Pacti vero proprie dicti „violatio, sicut et dati repetitio,.. vocatur **Injuria“**, [4]) Haec fieri non potest nisi in civitate, quia in statu naturali omnes ad omnia jus habent et proinde nemini injuria fieri potest. „Nam ubi suum non est, id est, ubi Proprium non est, ibi Injustum nihil est; et ubi civitas non est, nihil est Proprium“. [5]) Ex quo sequitur definitio injustitiae: „Injustitia Hominis est Animi ad Injuriam faciendam Habitus.“ [6])

Sed ibi immediate alia quaestio oritur de bono scilicet et malo morali in statu sociali. Jam ex ipsa Malmesburiensis doctrina de affectibus et aversionibus, de ratiocinatione et postremo de statu naturali hominum, inferri potest, iuxta Hobbesium bonum honestum i. e. bonum per se nullum esse, neque dari essentiale discrimen inter bonum et malum, procedentibus omnibus ab unico principio sito in corpore nostro, a motu, ex quo conatus, appetitus vel aversio et quae has passiones sequuntur, nempe deliberatio cum voluntate. Hanc boni et mali quaestionem ipse Hobbesius modo sequenti explicat. „Bonae . . et Malae dicuntur eaedem res a diversis hominibus, propter hominum Appetitus, Aversiones, Consuetudines et Doctrinas diversas diverse; et quandoque ab eodem homine, propter mutationem Voluntatis eadem

---

[1]) cf. De Cive c. 2, a. 13, p. 13.

[2]) De Cive ib. p. 13.

[3]) De Cive c. 2, a. 12, p. 12.

[4]) De Cive c. 3, a. 3, p. 17.

[5]) Lev. c. 15, p. 72.

[6]) Lev. c. 15, p. 74.

res modo bona modo mala appellatur". [1]) Et ulterius docet: „Bonum et malum nomina esse rebus imposita ad significandum appetitum, vel aversionem eorum a quibus sic nominantur". [2]) Et alio loco: „quicquid, ait, Appetitus in homine quocunque Objectum est, eidem illud est quod ab ipso appellatur **Bonum**. Similiter id quod Aversionis in ipso et Odii causa est, ab ipso nominatur **Malum**; atque id Vile appellat, quod ipse contemnit. Voces enim Bonum, Malum, Vile, intelliguntur semper cum relatione ad personam quae illis utitur, cum nihil sit simpliciter ita; neque ulla Boni, Mali, et Vilis, communis regula, ab ipsorum objectorum naturis derivata, sed a natura.. personae loquentis". [3]) „Simpliciter Bonum dici non potest; cum quicquid Bonum est, Bonum sit aliquibus vel alicui". [4]) Ipse et boni honesti nomen cognoscit, sed alia notione verbi illud sumit, i. e. „eadem res, ait ille, quae ut cupita Bona,.. ut acquisita Jucunda, ut considerata Pulchra dicitur.. Pulchritudo est futuri Boni Judicium. Quae cum in actionibus spectetur dicitur Honestas; quando in forma consistit appellatur Forma". [5]) Ex his patet non bonitatem objecti per se boni, sed pulchritudinem modi quo actiones peraguntur honestatem esse ab ipso doceri. Objectum vero turpe nihil aliud esset nisi „Malum ut promissum". [6])

Alias vero considerationes Hobbesii de bono et malo ut minoris momenti praetereo, id tantum annotandum esse censeo, ipsum in suis conclusionibus stricte dialectice procedere, quia ab unoquoque, iuxta ipsum, determinari debet, secundum suas passiones, quid ipsi hic et nunc bonum et quid malum sit; [7]) alia ratio in statu absolutae libertatis non datur, „nam ante Pacta et Leges conditas, nulla neque Justitia neque Injustitia, neque Boni neque Mali publici natura erat inter homines, magis quam inter bestias". [8]) -Civitate vero condita ratio boni et mali sunt leges civiles, seu voluntas magistratus, qui civitatis personam gerit; [9]) „Mensura Boni et Mali in omni Civitate est Lex", [10]) docet Hobbesius. Quomodo vero ista libertas humana in civitate lege civili moderetur, capite V. considerabimus.

---

1) Lev. c. 15, p. 79.
2) De Cive c. 3, a. 31, p. 26.
3) Lev. c. 6, p. 26. cf De Cive c. 14, a. 17, p. 107.
4) De Hom. c. 11, a. 4. p. 64.
5) De Hom. c. 11, a. 5, p 64.
6) Lev. c. 6, p. 27.
7) De Cive c. 3. a. 31, p. 26.
8) De Hom. c. 10. a. 5, p. 62. cf. De Cive c. 14, a. 9, p. 103.
9) cf. Lev. c. 6, p. 26.
10) Lev. c. 46, p. 322.

Čaput. V. Religio et libertas in statu civili.

Satus quaestionis. Omnis religio, iuxta Hobbesium, tum in statu naturae, tum in statu sociali, immo in pacto vetere et adhuc magis in pacto novo, donec a potestate civili non agnoscatur, superstitio remanet. Harum una, quae ad temporis necessitates magis accommodata videtur, voluntate potestatis civilis lex civilis fit et, per consequens, religio civilis, quam multiplicem esse non posse, totamque potestatem ab ipsa manantem penes magistratum esse, patet. In hoc statu civili libertas adhuc perfectior fit, nam leges, quibus noxiae civium actiones prohibentur securitatem praebent. Iuxta Hobbesium rem ita se haberi, ex sequentibus patebit.

Divisio. 1. Religionis civilis origo ejusque auctoritas.
2. Libertas civium in civitate.

1. Religionis civilis origo ejusque auctoritas.

Religio naturalis, quae est simul et lex naturalis, et quae ab ipso definitur „metus Potentiarum invisibilium .. Religio est; si publice acceptae non sint Superstitio", [1]) est unica vera religio, quia est dictamen rectae rationis naturalis, et ad illam, quantum possibile est, omnes aliae positivae religionis formae reducendae sunt. Hobbesius enim religionis positivae tres species distinguit, nempe 1. pactum Abrahae cum Deo, 2. pactum Israelitarum ad montem Sinai, 3. pactum novum. Pactum vero novum et pactum Israelitarum ad montem Sinai initium habent, iuxta ipsum, in pacto Abrahae cum Deo, quod adhuc duas causas habet: a. quia Abraham revelationem ipsi a Deo factam veram esse credidit et b. quia habuit potestatem absolutam in domesticos suos, qui voluntatem ejus ut legem divinam accipere tenebantur. „Constat, .. credidisse Abrahamum, vocem illam fuisse vocem Dei, et revelationem veram et voluisse a suis coli illum, qui eum alloquutus erat, pro Deo universi creatore". [2]) Sed cum Abraham summam potestatem in domesticos habueret, propterea et leges

[1]) Lev. c. 6, p. 28,
[2]) De Cive c. 16, a. 4, p. 126.

condendi et contraversias dirimendi ius habebat, [1]) eius enim voluntas, sicut summae potestatis civilis, eiusque praecepta domesticis leges fuerunt, ipseque iudex eorum supremus fuit. [2]) Etiamsi suam superstitionem religionem positivam esse declarasset, haec vera religio habenda fuisset, quia, iuxta Hobbesium, „superstitionem . . facere potuit Lex loci ut religio appellaretur, et Cultus omnes alii superstitiones", [3]) quia „Religio . . Philosophia non est, sed in omni civitate Lex, et propterea non disputanda est, sed implenda". [4]) Sic tota religio positiva, sicut iam ante vidimus, facta per pactum Abrahae cum Deo, ab ipso Hobbesio ad religionem naturalem reducitur, quae ad obtemperandum legibus homines obstringere debet: manifestum est, ait, non fuisse alias leges, aut cultum quibus Abrahamus tenebatur praeter leges naturales, et cultum rationalem, et circumcisione". [5]) Pactum populi Hebraei cum Deo ad montem Sinai pro Hobbesii doctrina de religione positiva maximi momenti est, quia ipse adventus Jesu Christi in mundum, iuxta illum, huius pacti violandi causa fuit, nam Jesus Christus venit „ut Deo Patri per Pactum novum, restitueret Regnum, quod a populo in Electione **Sauli** rejectum fuerat", [6]) Quaerendum nunc est, inquantum Hobbesius istud pactum ad religionem naturalem referat. Iam ex ante actis de religione positiva per pactum vetus satis nobis patet, leges huius pacti nonnisi leges naturales esse. [7]) Ita et cultus reducitur ad mandata sive Abrahae sive Mosìs, quae manifeste, rationis naturalis, i. e. legis naturalis sunt dictamina. Ex his patet ab Hobbesio et leges regni Dei, factas per pactum Israelitarum cum Deo ad montem Sinai et cultum, ad leges naturales, necnon ad religionem naturalem reduci. In legibus enim naturalibus et decalogus et leges policiae, judiciales et ceremoniales suum initium habent. Idem et cum novo Testamento facit, asserens: „Officii Servatoris nostri summa erat, viam docere, et media omnia ad salutem et vitam aeternam". [8]) Ad salutem vero

---

1) cf. De Cive c. 6. p. 49.
2) cf. De Cive c. 6, p. 46.
3) De Hom. c. 14, a. 11, p. 82.
4) De Hom. c. 14, P. 78.
5) De Cive c. 16, a. 5, p. 126.
6) Lev. c. 41, p. 228.
7) cf. De Cive c. 16, aa. 10, 18, pp. 128, 136.
8) De Cive c. 17, a. 13, p. 147.

nonnisi haec via datur: „justitia et obedientia civilis, et observatio omnium legum naturalium". [1]) Quid apud Hobbesium justitia et oboedientia significet, iam ex ante actis patet. Iuxta ipsum, Christus potuit docere duobus modis: „altero, ut theoremata per rationem naturalem, . . altero, ut leges, per autoritatem divinam, ostendendo, talem esse voluntatem Dei". [2]) Sed et leges istae, utpote originis divinae, nullum in civitate civem obligabant donec, docet Hobbesius, a potestate summa civili non acceptentur, nimirum: „Testamentum novum ante **Constantinum Magnum** . . nemini potuit esse Lex; repugnat enim naturae Legis. Lex enim Mandatum est illius sive hominis, sive Coetus, qui Summam habet in Civitate Authoritatem". [3]) Et sic summum officium Christi: viam docere, et artes ad obtinendam salutem et vitam aeternam, (quam sensu hobbesiano accipere debemus), ad legem civilem, i. e. ad legem naturalem i. e. ad religionem naturalem reducitur. Ad legem naturalem, quia ipsa legislatio civilis, ut in capite primo demonstravimus, lex naturalis est; ad religionem naturalem, quia, ut ibidem demonstratur, religio naturalis est lex naturalis. Itaque omnis religio positiva ab Hobbesio ad religionem naturalem reducitur, eo magis quod omnis religio positiva, quae, iuxta illum, ubique eadem sub diversa forma viget, nihil aliud est nisi arbitraria constitutio eorum, qui summam potestatem civilem habuerunt. „Fundatores Civitatum, et Legislatores gentium primi, quibus Populum in obedientia continere consilium erat, sedulo providerunt: primo, ut praecepta Religionis non ab ipsorum ingenio, sed ab alicujus Dei vel Doemonis dictamine Populus profecta esse crederet, vel seipsos melioris naturae homines quam caeteros eo fine, ut Leges suas libentius acceperent". [4]) Proinde recte infertur, in rebus quae religionem et praesertim positivam spectant sicut et in caeteris: „sapientis autem est non ulterius . . credere, quam recta ratio, ea, quae dicitur, facit videri credibilia". [5]) Sed non solummodo sapientes, sed etiam „paulatim eruditur vulgus, et verborum quibus utitur tandem aliquando vim intelligit. Ex quo fit, ut cum doctores Religionis ea quae

---

[1]) De Cive c. 17, a. 13, p. 147.
[2]) De Cive ib. p. 147.
[3]) Lev. c. 42, p. 246.
[4]) Lev. c. 12, p. 59—60.
[5]) Lev. c. 2, p. 8.

non cohaerent inter se non modo ipsos loqui videant, sed etiam alios ita loqui Religiose jubere,proni sint, tum ipsos contemnere ut ignorantes, tum ipsam Religionem ut falsam suspicari, et eam aut corrigere aut ejicere e Civitate". [1]) His consideratis satis nobis patet, Hobbesium omnem religionem positivam ad religionem naturalem reducere conatum esse, quod ex illis quae de philosophia religionis docet dialectice consequuntur. Patet proinde, neque pacto Abrahae cum Deo, neque pacto Judaeorum cum Deo ad montem Sinai, et quodammodo neque ipso christianismo cives, etsi christiani sint, obligari, donec ista religio positiva civitatis religio non fiat, i. e. donec ab auctoritate summae potestatis civilis ut lex civilis promulgetur. [2]) Data autem aliqua religione positiva in civitate quae iuxta mentem Hobbesii magis magisque elimenanda est e civitate, primo quidem a sapientioribus et deinde etiam a vulgo educato, [3]) necesse est ad tempus saltem, iuxta Hobbesium, Deo i. e. naturae universi aliquod cultum exibere, qui alius non potest esse nisi cultus naturalis a recta ratione ejus qui summam civilem potestatem in civitate habet, per leges civiles declaratus. Alia vero religio aliusve cultus praeter illum summi imperantis, nullatenus admittendus est in civitate; „quoniam. .C ivitas Persona unica est, docet Hobbesius, unicum exibere Deo cultum potest, id est Cultum Legibus Civilibus imperatum; qui Cultus publicus dicitur, nec potest esse nisi uniformis". [4]) Religio vero ista „civilis" et naturalis, etiam sicut religio positiva, ad tempus solummodo valet, i. e. donec causae religionis naturalis scilicet: „Metus Spirituum. Ignorantia Causarum secundarum, Cultus eorum quae timent, et sumptio fortuitorum pro prognosticis", [5]) incognitae remaneant. His cognitis, nulla religio amplius in civitate locum habere poterit, immo tunc liberalismi dominatione patietur. Confitendum igitur est, ab Hobbesio religionem positivam in civitate admitti solummodo ut malum populi rudis causa necessarium.

---

[1]) De Hom. c. 14, a. 13, p. 83.
[2]) cf. Lev. c. 42, p. 246.
[3]) cf. De Hom. c. 14, a. 13. p. 83. Lev. c. 2. p. 8.
[4]) Lev. c. 31, p. 171—172.
[5]) Lev. c. 12. p. 57.

2. Libertas civium in civitate.

Hanc quaestionem tractamus sub triplici respectu:

a. Quid sit libertas in civitate.

b. Qualis sit singulorum civium in civitate libertas.

c. Qualis sit libertas socialis civium in civitate.

a. Quid sit libertas in civitate. Dicendo de libertate naturali singulari, libertatem, iuxta Hobbesium, absentiam impedimentorum externorum motus esse probavimus. [1]) „Liber dicitur is, qui ex iis quae viribus et arte propria facere potest, quin faciat quicquam vult non impeditur". [2]) Ex hoc patet, libertatem talem solis corporibus applicari posse, quia „quod motui subjectum non est, obnoxium impedimento". [3]) Et proinde, „quando quis libere loqui dicitur, non Sermonis, sed loquentis Libertas est. Liberum denique arbitrium non voluntatis libertas, sed Volentis est", [4]) quia voluntas est ultimus actus deliberationis, deliberatio vero necessario sequitur datum obiectum et „nihil aliud est nisi commodorum et incommodorum facti quod aggredimur tanquam in bilance ponderatio, ubi quod praeponderat, necessario secundum inclinationem suam procedit". [5]) Manifestum est, absolutam libertatem non esse in civitate, quia cum illa civitas conjungi non potest, [6]) moderatur enim legibus et proinde „cuique libertas major vel minor, prout plus vel minus spatii est in quo versatur". [7]) „Libertas alia omnis, exemptio est a legibus civitatis, et propria imperantibus". [8])

Errores circa libertatem civilem, iuxta Hobbesium, ex eo procedunt, quod homines ius civile a iure peculiari distinguere nesciunt et ex eo, quod falsis graecorum et latinorum doctrinis nituntur: „factum est, ut homines nostri ab Infantia opinionibus illis innutriti, sub **Libertatis** falsa specie habitum tandem contraxerint tumultibus favendi, actiones eorum, qui Summam habent Potestatem reprehendendi, et rursus reprehendendi reprehensores illos; idque cum tanti sanguinis effusione, ut vere possim, puto, affirmare nuncquam quicquam tam care emtum esse, quam Graecorum Latinorumque linguas emerunt partes hae mundi Occidentales". [9])

---

[1]) Lev. c. 14, p. 663, ib. c. 21, p. 104. De Cive c. 9. a. 9, p. 66.
[2]) Lev. c. 21, p. 104.
[3]) Lev. ib. p. 104.
[4]) Lev. ib. p. 104.
[5]) De Cive c. 13, a. 16, p. 98.
[6]) cf. De Cive c. 9, a. 9, p. 67; ib. c. 10, a. 1, p. 70.
[7]) De Cive L, c. p. 67.
[8]) De Cive c. 9, a. 9, p. 67; vide Lev. c. 21, p. 104-5.
[9]) Lev. c. 21, p. 107.

b. Qualis sit singulorum civium libertas in civitate.

Iuxta Hobbesium libertas civium dependet a silentio legum civilium. „Libertatem habere Civis dicitur ad illas actiones de quibus in Legibus nihil definitur, et ad eas solas. In his.. unicuique id quod sibi maxime videbitur expedire, facere Liberum est“, [1]) et „in iis tantum rebus consistit, quas in Legibus ferendis Legislator praetermisit“, hoc est, „civium Libertas dependet a Legum Silentio“. [2]) „Libertas civium non in eo sita est, ut legibus civitatis exemti sint, vel ut ii qui civitatis summam potestatem habent, non possint leges ferre quascunque volent. Sed quoniam omnes motus et actiones civium legibus nunquam circumscriptae sunt, neque circumscribi propter varietatem possunt, necesse est, ut infinita pene sint, quae neque jubentur neque prohibentur; sed facere vel non facere suo quisque arbitrio potest. In his unusquisque dicitur sua frui libertate, atque in hoc sensu libertas hoc loco intelligenda est, nempe pro juris naturalis parte ea, quae civibus a legibus civilibus permissa, et relicta est“. [3]) Et hoc sensu de libertate civium dicitur: „servi et subditi liberi sunt, qui non sunt vincti, vel incarcerati“. [4]) Quid igitur inter liberum civem et inter servum interest? Hoc, quod „Liber quidem is fit qui soli civitati, Servus autem qui etiam concivi servit.“ [5]) Civis tamen fruitur et quidem iure naturali ea libertate quae ad ipsius vitae conservationem et sanitatem spectat, quia ius ad ea per pacta transferri vel abjici non potest, immo pacta quae id facerent invalida essent. Videamus proinde has exceptiones. „Pactum de seipso contra vim non defendendi invalidum esse“, dicit Hobbesius. Et ulterius: „si Summam habens potestatem, Civem, quanquam jure morti condemnatum, seipsum interficere, mutilare, vel vulnerare; aut vi personam ejus invadenti non resistere; aut ab alimentis, medicina, aere vel alia re sine qua vivere non potest se abstinere jusserit, habet Civis ille recusandi Libertatem. Si quis Civis interrogetur a Summam habente Potestatem, vel per Authoritatem ejus de crimine quod ipse Civis commisit, fateri crimen, nisi facti venia data, non obligatur; quia nemo obligari

---

[1]) Lev. c. 21, p. 105.

[2]) Lev. ib. p. 109.

[3]) De Cive c. 13, a. 15, p. 97.

[4]) De Cive c. 9. a.9, p. 66.

[5]) De Cive ib. p. 66.

Pacto potest, seipsum accusare... Itaque si quis jubeatur contra hostem Publicum pugnare, quanquam si recuset, Potestati Summae puniendi eum non desit Jus, potest tamen aliquando sine Injustitia recusare, ut quando alium militem non minus idoneum substituit.. Si multi simul, contra Civitatis Potestatem Summam crimen aliquod commiserint capitale, propter quod, nisi se defendant, expectant mortem, quaeret aliquis utrum Libertatem illi conjunctis viribus se mutuo defendendi habeant. Habent certe. Nam vitas suas defendunt tantum. [1]) ..Reliqua Civium Libertas dependet a Legum Silentio". [2]) Rursus, „si Civis Bello captus sit; vel Personae aut vitae ejus necessaria intra praesidia hostium sint; hostes autem vitam et corporis Libertatem illi permittant, ea conditione, ut Victori Subditus sit, Civis ille conditionem accipiendi libertatem habet; et cum acceptaverit, Victoris subditus est; nam alia ratione conservare se non potuit. Si quis autem ab hoste in carcere aut vinculis deteneatur, nec credatur sibi corpus suum, Pacto vinctus non intelligitur, ideoque aufugere vel servare se quocunque modo jure potest". [3]) Sed in aliis casibus civis non potest pactum novum inire absque licentia summi imperantis. [4]) Ex iuribus summi imperantis patet, civem non solum jus non habere determinandi quis sit amicus, vel hostis, quando bellum, quando foedus, quando pax et quando induciae faciendae sint, sed „neque qui cives, quae aut quorum hominum autoritas, quae doctrinae, qui mores, quae orationes quae combinationes, et quorum hominum, saluti civitatis vel commodae vel adversae sint. Haec et.. similia omnia, a civitate, id est, a summis imperantibus, si opus est, discenda sunt". [5])

Proprietas civium non est civium, sed ejus qui summum habet imperium, quia „constitutio Proprietatis Civitatis opus est". [6]) Religionem mutare, iuxta ipsum, subditus non potest, quia, sicut supra demonstratum est, ab ipso non admittitur in civitate nisi una religionis forma, illa scilicet, quam summa civitatis potestas indicat. De libertate ergo religionis, dum aliqua religio a civitate profitetur, loqui non potest: cives enim religionem summi imperantis sequi tenentur.

---

[1]) Lev. c. 21, p. 180-9. cf. De Cive c. 2, a. 19, p. 15. Lev. c. 14, p. 70.

[2]) Lev. c. 21, p. 109.

[3])Lev. c. 21, p. 110. cf. ib. c. 20, p. 103.

[4]) cf. Lev. c. 18. p. 86.

[5]) De Cive c. 17, a. 11, p. 146. cf. Lev. c. 20, p. 103.

[6]) Lev. c. 24, p. 122.

c. Qualis sit libertas socialis civium in civitate.

Hanc quaestionem in duas partes distinguere possumus:

1. de libertate familiae in civitate;

2. de libertate diversarum societatum inter cives.

Manifestum est ex supradictis, cives tanta libertate gaudere, quanta ipsis a iure naturali conceditur, i. e. in quantum a lege civili non contrahitur.

1. Familiam quod attinet, Hobbesius, de ritu sacramentorum et de ecclesiasticis agens, matrimonium sacramentum non esse aperte declarat, [1] asserens, ad sacramenti essentiam consensum legum civilium necessarium esse, [2] immo ab hoc consensu stabilitatem matrimonii dependere dicit: „Apud eos . . qui non permittunt hujusmodi contractus, nisi ea lege ut nunquam dissolvantur, matrimonium solvi quidem non potest et ratio est quod civitas illud solubile fieri vetuit, non quod matrimonium sit Sacramentum". [3] Ad sui temporis tamen opinionem sese accommodans, ait: „circa matrimonium nuptiarum ceremonias, quae in Templo peragendae sunt, peragere, conjugibus benedicere, . . ad Ecclesiasticos fortasse solos pertinebit, caetera omnia, nempe qui, quando, quibus pactis matrimonia fiant, penes leges civitatis sunt". [4] Per matrimonium constituta familia etiam generatio nova adest; tamen ius patris, iuxta Hobbesium, in filios est „non quia filium genuit, sed quia consensit filius, vel propter alia aliqua argumenta", [5] quia in generatione concurrunt duo: „si ergo Dominii jus sola Generatione definiretur, duo essent Domini, quibus ambobus obedire impossibile est". [6] Et educatur filius, praesertim in statu naturae, ea lege „ne adultus hostis fiat, hoc est, ea lege ut ipsi obediat". [7] Tamen „Patri debetur post Civitatem honor summus, ut cui in filium ante constitutas civitates Potestas erat Summa". [8] „Jura denique omnia Dominii Paterni tum Despotici sive Herilis eadem sunt quae Summae Potestatis in Civitate per Institutionem", [9] et ea, lege civili tacente, in civitate manent.

Ex his patet Hobbesium docere, non solum civitatem sed

[1] cf. Lev. c. 44, pp. 293, 294.
[2] Cf. De Cive c. 6, a. 16. p. 47, adnot.; Lev. c. 47, p. 324.
[3] De Cive ibid. p. 47.
[4] De Cive ib. p. 47.; cf. ib. c. 17, a. 10. 145.
[5] Lev. c. 20. p. 99,
[6] Lev. c. 20 p. 99.
[7] De Cive c. 9, a. 3, p. 64.
[8] Lev. c. 27, p. 145.
[9] Lev. c. 20 p. 101.

etiam vitam domesticam, immo ipsum ius paternum in contractu sociali originem habere.

2. Libertas societatum inter cives. Societates Hobbesius vocat „systema", et hoc modo definit: „Per Systema intelligo numerum qnemcunque hominum in rem ipsorum communem congredientium", [1]) Societatum divisio. Omnes societates seu „systemata" civium Hobbesius in regularia et irregularia dividit. „Regularia quidem ea sunt, in quibus Homo vel Coetus unus Personam gerit omnium. Caetera autem omnia sunt Irregularia". [2]) Adhuc, „regularia alia Absoluta sunt sive Independentia, id est nemini subdita praeterquam suae propriae Personae Repraesentativae; quales sunt Civitates, et quidem solae. Alia sunt Subordinata, nempe Summae Potestati Civitatis, cui tum singuli tum etiam qui ipsorum Personam gerit, subjiciuntur . . De Systematibus Subordinatis alia politica sunt, alia Privata. Politica . . ea sunt, quae ab Authoritate Summae Potestatis Civilis constituta sunt. Privata ea sunt, quae consitituuntur ab ipsis Civibus, vel Authoritate aliqua extranea, quae Authoritas, quia a Potestate extranea derivatur, Publica non sunt . . Systemata Privatorum alia licita sunt, alia illicita". [3]) „Systemata Irregularia sunt quae cum Personam non habeant consistunt in concursu tantum Populi; quae si Lege Civili non sint vetita et sine mala intentione fiant.. Licita sunt. Quando autem consilio malo confluunt, vel, si multitudo magna sit, incognite, Illicita sunt". [4]) „Systema Privatum Regulare, idemque licitum illud est, quod sine Literis aut mandato Summae Potestatis, praeterquam Legibus omnium Civium communibus constituitur.. Systemata Regularia quidem, sed Illicita, ea sunt quae fiunt ab hominibus in unam personam coeuntibus, sine omni Authoritate Publica. Qualia sunt, Systemata Mendicorum et Furum, eo fine ut mendicent furenturque commodius. Etiam privata et Illicita sunt Systemata ea sive Fraternitates authoritate externa constitutae ad propagationem Doctrinarum, vel ad Factionem, contra Civitatis Potestatem Summam· [5])

Haec omnis Hobbesii doctrina de religione et libertate non terminatur in civitate existenti, sed ad statum maxime perfectum tendit, nempe ad statum perfectae libertatis, de quo capite sequenti.

[1]) Lev. c. 22, p. 111.
[2]) Lev. ib. p. 111.
[3]) Lev. ib. p. 111,
[4]) Lev. ib. P. 112.
[5]) Lev. c. 22, p. 117.

Caput VI. **Status libertatis perfectae,** seu **via ad absolutismum democraticum irreligiosum.**

Status quaestionis.

Vita humana civilis prae diversa forma regiminis civilis magis vel minus perfecta est; quo magis potestas civilis dependet a civibus, quo magis cives non solum auctores, ut Hobbesii elocutione utar, sed et actores sunt, eo magis liberi sunt, eo maiore felicitate fruuntur. Sed iam supra demonstratum est, omnem potestatem civilem initium suum in democratismo habere, quia, iuxta illum, potestas civilis contractu civili instituitur. Sed cum cives nondum eruditi sint, neque sese gubernare, neque felicitatem assequi possint, indigent alia forma quae a democratismo differt, nempe monarchia absoluta. Populus vero eruditus monarchia non indiget, se ipsum regere incipit et absque metu aliquo, qui proprius est aliis evolutionis statibus, perfecta libertate fruitur, haecque, iuxta Hobbesium, in democratia absoluta et in absentia cujusque religionis excepto cultu naturae universalis consistit. Hanc esse mentem Hobbesii per partes demonstrabimus:

Divisio: 1. De absolutismo potestatis civilis.
2. Via ad democratismum.
3. Via ad absolutismum democraticum irreligiosum.

In hac quaestione his operibus Hobbesii usus sum:

1. Logica c. 5.
2. Philos. pr. c. 7.
3. De Homine cc. 10, 14.
4. De Cive cc. 2, 5, 6, 7, 10, 12, 13. 15, 16. 17, 18.
5. Leviathan cc. 6, 8, 11, 12, 14, 16, 18, 19, 20, 21, 26, 29, 30, 34, 38, 39, 41, 42, 43, 44, 45, 47.
6· App. ad Lev. c. 1.

1. De absolutismo potestatis civilis.

Ex supra tractatis de summa potestate in civitate, de eius institutione et de juribus iam clare patet, Hobbesium absolutismum civilis potestatis profiteri, dicit enim: „manifeste, . . Summam Potestatem, sive ea in uno homine, ut in Monarchiis, sive in uno Coetu, ut in Democratiis et Aristocratiis, collocata sit, tantam esse oportet quantam facere eam possunt homines. Quanquam autem de Potestate indefinita multa incommoda homines

imaginari sibi possunt, incommoda tamen quae Potestatem limitatam comitantur . . multo sunt majora. Conditio hominum in hac vita sine incommodis nunquam erit". . [1]) „Adeo durum maximae parti hominum videtur esse summum hoc imperium et potentia absoluta, ut ipsa etiam nomina oderint". [2]) Manifestum est autem illi absolutam potestatem competere, cujus iuris est reos punire, quia hoc „fieri non potest sine potestate absoluta„. [3]) Et haec absoluta potestas civilis manet in qualibet forma civitatis. „Manifestum est, . . esse in omni civitate aliquem hominem unum, vel concilium sive curiam unam, quae potentiam in cives singulos jure habet tantam, quantam extra civitatem unusquisque habet in se ipsum: id est, summam sive absolutam, viribus civitatis, neque ulla alia re limitandam", [4]) propterea quod „civitas existere sine summo imperio non potest". [5]) „Dicent fortasse aliqui conditionem Civium esse miseram, ut qui libidini et passionibus Regentium sunt obnoxii.. Non.. cogitant quod res humanae sine incommodo esse non possunt". [6]) Ex altera parte in civitate multa commoda sunt, nam „extra civitatem unicuique ita jus est ad omnia, ut tamen nulla re frui possit. In civitate vero, unusquisque finito jure secure fruitur . . Extra statum civitatis, unusquisque libertatem habet integerrimam quidem, sed infructuosam; propter ea quod qui propter libertatem suam omnia agit arbitrio suo, propter libertatem aliorum omnia patitur arbitrio alieno. At civitate constituta, unusquisque civium tantum libertatis sibi retinet, quantum sufficit ad bene et tranquille vivendum, tantum item aliis adimitur, ut non sint metuendi . . Extra civitatem, quilibet a quolibet jure spoliari et occidi potest. In civitate ab uno tantum. Extra civitatem, fructus ab industria nemini certus; in civitate omnibus. Denique extra civitatem, imperium affectuum, bellum, metus, paupertas, foeditas, solitudo. barneries, ignorantia, feritas; in civitate, Imperium rationis, Pax, securitas, divitiae, ornatus, societas, elegantia, scientiae, benevolentia". [7])

---

[1]) Lev. c. 20, p. 103.
[2]) De Cive c, 6, a. 17, p. 48.
[3]) De Cive ib. p. 48.
[4]) De Cive ib. pp. 48—49.
[5]) De Cive c. 15, a. 1, p. 111.
[6]) Lev. c.18, p. 91.
[7]) De Cive c. 10, a. 1, p. 70.

Et sic patet, ab Hobbesio nonnisi potestatem civilem absolutam concepi. Estne Hobbesius monarchista? Nullatenus! quod ex ipsius scriptis et propensione patet; nam fero semper de summa potestate civili agens, addit „sive is sit unus homo sive curia una“, et ad Fr. Godolphinum scribens in hac re mentem suam manifestat: „Causam tamen cur pars utravis succenseret mihi, nullam video. Quid enim facio, praeterquam quod Potestatem Civilem, quam quicunque possidebit, maximam esse volet, quantum possum magnifico“. [1]) Sed adhuc magis clare eius democratismus ex doctrina civili infertur, nempe ex eius propensione ex sensu interno. Sic omnis civitas iuxta ipsum constituta est modo democratico, nempe per contractum civile, et perfecta libertas et felicitas rursus est solummodo in civitate democratica, ubi populus se ipsum regit. Itaque, initium et finis civitatis in democratismo, in via autem, quantum est via ad finem, monarchismus habetur.

Ita rem sese haberi, probo:

2. Via ad democratismum.

Quaelibet civitas condita, suis legibus regitur, habetque suam formam civilem et quidem unam ex tribus: vel monarchiam, vel democratiam, vel aristocratiam, nam omnes alias civitatum formas Hobbesius ad istas reducit. Quid vero sentiendum sit de his, in quanam condicio civium melior sit, quaenam civitatis forma optanda sit, en quaestiones ad quas respondere necesse est.

Manifeste, distinguenda est forma civitatis ut finis ultimus vitae civilis et ut optima via ad hunc finem obtinendum. Suo tempore Hobbesius aperte democratismum docere non potuit, id enim nimis periculosum fuit. Nihilominus recte intellexerunt tum in Anglia tum in Gallia quid de potestate regia sentiret. Ipsemet Samueli Sorberio scribit: „Certant enim inter se Viventes de Ingenio, Certant mecum Politici multi, et Clerus de Jure Regio. . Hi omnes mihi inimici sunt. Fugere me ex Anglia in Galliam coegit cleri pars una; et rursus fugere e Gallia in Angliam coegit cleri pars alia“. . [2]) Sed Hobbesius monarchiam laudat, fortasse objicient aliqui. Sane! De excellentia monarchiae ipse

---

[1]) Lev. Ep. ded. p. 2.

[2]) Dialogus Phys. de Natura Aeris. Dedicatio.

multa scribit, [1]) dicitque monarchiam optimam esse civitatis speciem; [2]) sed nec aliae ipsius sententiae oblivisci licet: „Differentia inter tria haec Civitatum genera non consistit in diversitate potestatis, sed in diversitate aptitudinis Civium ad finem suum, nempe Pacem et Defensionem. [3]) Dum igitur cives ob aliquas causas ad pacem conservandam et ad civitatem defendendam minus apti sunt, protectionem aliquorum, monarchae scilicet vel optimatum quaerere debent; dum vero sibimetipsis sufficiunt, protectionem fortiorum quaerere superfluum est. Et revera, in monarchiis cives ad oboediendum regi tenentur „tamdiu nec diutius.. quam ([4]) diu) manet Potentia Cives protegendi“, [4]) et hoc ad omnem potestatem extendit. Nunc quae „monarchia“ et quae „democratia“ incommoda secum ferat exponam et ex eorum collatione quaenam sint graviora dicam. Primum argumentum pro monarchia ex similitudine inter ipsam et regimen Dei in universo sumit; sed iam sub fine articuli dicit: „quamquam Monarchiam commendatiorem nobis exibeant, tamen quia id non rationibus, sed exemplis et testimoniis faciunt, omittemus“. [5]) De illis vero, quibus unius regimen quia unius est displicet, ait: „Hi sane substrahere se ab imperio unius Dei, si possent, vellent“. [6]) Deinceps incommoda quae sunt in monarchia cum illis, quae democratia fert, comparat. „Inter incommoda imperii summi unum est, quod imperans praeter pecunias ad sumtus publicos . . possit etiam, si velit, alias exibere per libidinem, quibus filios, cognatos, gratiosos atque etiam adulatores ditare possit. Confitendum est, incommodum quidem hoc esse, sed ex numero eorum quae in omni genere civitatis reperiuntur“. [7]) Et deinde demonstrare ea conatur,„in Monarchia autem tolerabiliora, quam in democratia [8]) esse, sed eius argumentum potius aristocratiam quam democratiam veram impugnat. Ulterius, „Summi imperii incommodum aliud est, metus ille mortis perpetuus, in quo unumquemque versari necesse est, dum reputat secum, posse eum qui imperat, non modo poenas quas velit, in quae velit peccata constituere, sed

[1]) cf. Lev. c. 19, pp. 93, 94, 95. De Cive C. 10, a. art. 3. usque ad finem capitis.
[2]) cf. De Cive c. 10, a. 3, p. 71.
[3]) Lev. c. 19, p. 95.
[4]) Lev. c. 21, p. 110.
[5]) De Cive c. 10, a. 3. p. 71.
[6]) De Cive ib. a. 4, p. 71.
[7]) De Cive c. 10, a. 6, p. 72. cf. Lev. c. 19, p. 94.
[8]) De Cive l. c. p. 72.

etiam cives innocentes, et qui nihil contra leges commiserunt, ira et libidine jugulare". [1]) Et quaestionem sic solvit: „magnum hoc revera in omni civitatis specie incommodum est, ubi fit . . sed vitium est Regentis, non Regiminis". [2]) Quid in tali solutione lateat, patet: regem ingratum semper manere, potestatem vero in democratia mutabilem esse, illudque quod ad incommoda tollenda melius sit, eligendum esse. „Sunt qui ideo Monarchiam Democratia incommodiorem putent, quod illic minus libertatis sit quam hic". [3]) Sed quid ipse dicit? „si per libertatem intelligant exemtionem a subjectione, quae legibus, hoc est, mandatis debetur populi, neque in Democratia neque in alio statu civitatis quocunque ulla omnino libertas est. Si libertatem in eo sitam esse intelligant, ut paucae sint leges, pauca vetita, . . tunc nego plus esse libertatis in Democratia quam in Monarchia". [4]) Ex hac solutione inferri potest homines sub regimine democratico maiore libertate quam in monarchia non frui, sed neque minore. Ergo sub hoc respectu ambae aequales sunt. Insuper sibi aliam difficultatem proponit: „sed ob hoc ipsum fortasse aliquis statum popularem maximo intervallo Monarchiae anteferendum esse dicet, quod illic, ubi scilicet negotia publica omnes tractant, prudentiam, scientiam, eloquentiamque suam in deliberationibus circa res maximae difficultatis et momenti publice ostendendi potestas omnibus facta sit; id quod propter naturae humanae innatam laudis cupidinem, omnibus iis qui vel talibus virtutibus antecellunt, vel sibi videntur caeteris antecellere, omnium rerum est jucundissimum". [5]) Ad positam quaestionem directe non respondet, sed demonstrare conatur maxima incommoda sequi ex „incerto certamine inanis gloriae, certissimas suspicere inimicitias,.. odisse et odio esse ob dissimilitudinem opinionum; concilia et vota nostra ubi non est opus, sine fructu omnibus patefacere; rem domesticam negligere". [6]) Hac solutione magis democratia quam monarchia fulcitur. Nihilominus deinceps demonstrare vult, „quare minus recte in magnis conventibus deliberari quam ubi conciliarii sunt pauci", [7]) quae contra democratiam dicta esse videntur

[1]) De Cive c. 10, a. 7, p. 73.
[2]) De Cive ib. p. 73.
[3]) De Cive ib. a. 8, p. 74.
[4]) De Cive ib. p 74.
[5]) De Cive ib. p. 74-75.
[6]) De Cive c. 10, a. 9, p. 75.
[7]) De Cive c. 10, a. 10, p. 75. cf. Lev. c. 19, p. 94.

quod non stat, quia pro ipso „pauci“: periti, magni vero „conventus„ — imperiti sunt. Deinde aliam objectionem contra democratiam affert:—„ubi legum ferendarum potestas summa ad conventus tales defertur, leges instabiles esse, mutarique, non ad mutationem status rerum, neque ad mutationem animorum sed prout maior numerus hominum nunc ex hac, nunc ex illa factione confluxerit ad curiam“. [1]) Hoc revera in democratia accidit; sed si curia esset immutabilis, neque expressa maioris partis civium voluntas, neque democratia esset. Etiam alias obiectiones contra democratiam affert. „Hoc etiam.. deliberationes magnorum coetuum incommodi habent, quod civitatis consilia, quae tacita saepissime permagni interest, ante ad inimicos proferantur, quam possint perduci ad effectum“. [2]) Sed manifestum est, exploratores etiam in parvis coetibus adesse posse. Et ulterius: „Quod si Democratia populus deliberationes de bello et pace et de legibus ferendis ad unum, tantum, vel valde paucos deferre vellet, contentus nominatione magistratuum, et ministrorum publicorum, hoc est, authoritate sine ministerio, tunc fatendum est, Democratiam et Monarchiam hac in re aequales fore“. [3]) Id est, quando populus singulas quaestiones non solvit, sed ad id suos ministros eligit, „Ex quo intelligitur regiminis commoda vel incommoda, non illum in quo residet civitatis authoritas, sed imperii ministros sequi“. [4]) Hoc ut argumento utitur ad contradictionem diluendam in monarchia summam potestatem in rege puero esse posse dicendo: „nihil impedire, quin civitas recte gubernari possit, quanquam Monarcha foemina vel puer vel infans sit, modo ii negotiis pari sint, qui ministeriis et muneribus publicis praediti sunt“. [5]) Si ergo monarcha tanti valet, ut supremo imperio, quod in ipsum, iuxta Hobbesium, a populo transfertur, uti possit, manifestum est, concludit, populum, qui est fons auctoritatis, sese dirigere posse. Ipsius vero argumentum: „Monarchia itaque omnium optimum in castris regimen est“, [6]) vera similitudo est, spectatque socialis vitae summum negotium, i. e. defensionem. Bello absente, abest non solum necessitas absolutismi unius

---

[1]) De Cive c. 10, a. 13, p. 76, Lev. c. 19, p. 94.
[2]) De Cive ib. a. 14, p. 76.
[3]) De Cive c. 10 a. 15, p, 77.
[4]) De Cive c. 10, a. 16, p. 77.
[5]) De Cive ib. p. 77.
[6]) De Cive c. 10, a. 17, pp. 77—78.

hominis in castris, sed etiam in aliis quaestionibus vitae socialis. Argumentum hoc, ex comparatione sumtum, valet tum pro monarchia, tum valet pro democratia, sed in alio et alio sensu. Ultimum vero argumentum sumit pro monarchia ex eo quod subditi sunt haereditas imperantis. Et cum unusquisque sua sponte haereditatem suam conservare studeat, inferre debemus, imperantem sua sponte de suis subditis curam habere. [1]) Sed huius argumenti altera pars non est manifesta, nempe, populum eruditum sibi optime providere posse, quia ipse sibimet ipsi est maxime amicus et de suis bonis studiosus.

De aristocratia ipse dicit, si haereditaria sit, „et quae contenta Magistrorum electione, deliberationes ad paucos, et maxime idoneos transmittit, et simpliciter quae Monarcharum regimen maxime, populi minime imitatur, eam civibus singulis et meliorem caeteris et diuturniorem esse“, [2]) sed, manifeste, non toti populo, sed singulis civibus. Alias civitatum formas, quae tunc tempore vigebant, reducit Hobbesius ad istas tres: monarchiam, aristocratiam et democratiam, et quae de his tribus dicta sunt, pro aliis omnibus valent et ideo illas seorsim non considerabimus.

Allata argumenta Hobbesii pro monarchia, magis democratiae quam monarchiae favent, si haec non ut via ad obtinendum finem, sed ut ipse socialis — civilis vitae finis consideretur. Idem ex illis quae ius successionis defendendo asserit, patet. „Difficultas de Jure Successionis maxima in Monarchia est, circa quam duae quaestiones esse possunt, altera an Monarchae praesenti Jus sit quem vult eligendi; altera quis sit quem velit. Ad primam autem considerandum est, aut Jus illud Monarchae praesentis esse, vel multitudinis solutae. Si Monarchae sit praesentis, moriente illo Civitas dissolvitur, quia nullus est qui Jus illud postulare sibi potest homo singularis; multitudo autem neque agere quicquam aut loqui potest, ut quae Persona amplius non est . . In Democratia Coetus totus deficere nisi deficientibus Civibus non potest. Quaestiones igitur de Jure Successionis ad Democratiam non pertinent. In Aristocratiis autem si quis ex

---

[1]) cf. De Cive c. 10, a. 18, p. 78, Lev. c. 19 p. 93.
[2]. De Cive c. 10, a. 19. p. 78

Coetu Summo moriatur, alterum in illius locum a Coetu ipso, vel ipsius Authoritate, substituendum esse.. manifestum est". [1]) Manifestum est, hac ratione democratiam optimam civitatis formam esse, quia neque ullam difficultatem in quaestione de successione admittit, neque morti subjicitur. Monarchia e contra morti subjicitur et quidem ob quatuor causas, quarum duae sunt naturales et aliae duae artificiales, nempe 1. si rex pro se et pro suis haeredibus imperio cedit vel absque cognato successore moritur; 2. si amplius non habet potentiam cives protegendi; 3. si rex inimicus populi fit, per tyrranicidium, quod Hobbesius vocat „hosticidium", et 4. via revolutionis. Cessat obligatio summae potestati oboediendi, si amplius cives protegere non potest, quod praesertim accidit, cum summa potestas civilis in manibus paucorum vel unius hominis, regis, residet, quia „obedientiae finis est Protectio". [2]) „Jus enim hominum seipsos protegendi naturale, quando a nemine alio protegi possunt, nullo Pacto extingui potest". [3]) Proinde, „si civitas venerit in potestatem hostium, ita ut resisti eis non possit, intelligitur is qui prius summam habebat potestatem, eam iam amisisse". [4]) Hic Hobbesius de summa potestate regia loquitur, nam monarcha pro tempore electus a populo potestate privari potest: „populus qui per tempus Monarchae temporario praescriptum jure convenit, potest eundem imperio, si velit spoliare". [5]) Tyrrannicidium estne licitum? Nunquam, clamat Hobbesius, hancque seditiosam doctrinam, quae „hodie a nonnullis Theologis, et olim ab omnibus Sophistis Platone, Aristotele, Cicerone, Seneca, Plutarcho, caeterisque Graecae et Romanae Anarchiae fautoribus non modo licita, sed etiam maxima laude digna existimanda est", [6]) rex extirpare deberet. Quid his sibi vult? Manifestum est, omnes hos philosophos ab Hobbesio, propriis rationibus ducto, sophistas appellari, sed sequentia probant, ab ipso tyrannicidium traditum esse: „is quem occidi ut Tyrannum, volunt, vel jure imperat, vel absque jure; si absque jure, hostis est, et jure occiditur: sed dici debet hoc non Tyrannicidium, sed hosticidium". [7])

---

[1]) Lev. c. 19, p. 78. cf De Cive c. 7, a. 18, p. 59.
[2]) Lev. c. 21, p. 110, 111. cf. De Cive c. 7, a. 18, p. 59.
[3]) Lev. ib. p. 110.
[4]) De Cive c. 7, a. 18, p. 59.
[5]) De Cive ib. p 58.
[6]) De Cive c. 12, a. 3, p. 84.
[7]) De Cive ib. p. 84.

Quaestio proinde nova oritur, quando iure et quando absque iure rex imperet. Manifestum est, regem suo iure abuti cum ea quae conservationi vel sanitati civium obsunt, imperat; in his proinde cives oboedire non tenentur. [1]) Ex supradictis de libertate personali civium colligere possumus in quibus cives integra libertate fruantur et in quibus imperator suo iure abutitur, fitque uniuscuiusque hostis naturalis. His considerationibus novas addere possumus. Summus imperans, rex, obligatur praestare civibus non solum id „ut possent, quantum conditio fert humana, jucundissime vivere“, [2]) sed etiam „ut cives bonis omnibus, non ad vitam modo, sed etiam ad delectationem abunde instruantur“, [3]) quia „civitas.. non sui, sed civium causa instituta est“; [4]) non solum ab hoste externo defendere, opiniones perversas in ipsa civitate extirpare, [5]) sed etiam lege naturali eis libertatem intactam relinquere tenetur, [6]) omnibus aequalem se praebere, praesertim in oneribus civitatis civibus imponendis, [7]) et nullo modo aliquas societates „factiones“ religiosas permittere, quia „Principes, qui factionem permittunt, idem faciunt, ac si hostem intra moenia reciperent. quod est contra civium salutem, et propterea etiam contra leges naturales“. [8]) Ex altera vero parte, ne leges contra rationem naturalem fiant, nam quod est legi naturali contrarium, est contrarium rationi naturali; [9]) ne interficiantur oboedientes nam hoc facientes „peccant contra leges naturales, id est, contra Deum“, [10]) aliter sese habeat ad rebelles, proditores, quos puniet iure belli, [11]) ne se imisceat rex omnibus iudiciis, consultationibus, etc.., quia „ibi administratio talis est, acsi Deus praeter naturae ordinem, se ipsum ad materiam omnem immediate applicaret“, [12]) ne exigat rex sibi cultum divinum, quia tunc esset idolatria; sed si „Rex terrore mortis, vel alicujus poenae gravis, ad hujusmodi Cultum compellat, Idolatria non est. Cultus enim qui cogitur per vim imperii, signum non est Honorantis interne

---

[1]) cf. De Cive c. 2, a. 18, p 19.
[2]) De Cive c. 13, a. 4. p. 91 — 2.
[3]) De Cive ib. p.91 — 2.
[4]) De Cive c. 13 a. 3, p. 91. cf. Lev. c. 30, p. 157: Salus populi..
[5]) De Cive c. 13, a. 9, p 94.
[6]) De Cive ib. a. 15, p 97.
[7]) cf. De Cive ib. aa. 10, 17.
[8]) De Cive c. 13. p, 96, cf. Lev, c. 26, p. 137.
[9]) cf. Lev. c. 26, p. 137. De Cive c. 13, a. 17 p. 98.
[10]) De Cive c. 6. a. 13, p. 45.
[11]) cf. De Cive c. 14, a 22, p. 110.
[12]) De Cive c. 13, a. 1, p. 91.

sed metuentis mortem". [1]) Si addamus his ea quae dicta sunt de iure naturali uniuscujusque non obstantibus contractibus in vitam suam et sanitatem, nempe circa ea omnia contractus est invalidus; invalidum est „pactum de seipso contra vim non defendendi", civis etiam a iure ad mortem condemnatus, potest resistere vi personam ejus invadenti; neque crimen suum fateri tenetur; habet ius recusare contra hostem publicum pugnare, scilicet si hostis ad pugnam magis sit idoneus quam ipse; scelerati habent ius viribus unitis potestati civili resistere,— [2]) has Hobbesii sententias perniciosissimas esse et viam ad rebellionem praeparare, patet. Scilicet, si rex iura civium naturalia non tuetur, eo ipso rex esse desinit, fitque naturalis hostis, quem occidere in defendendo iura sua unicuique licitum est, et tunc non tyrannicidium, sed hosticidium vocatur. [3]) Sed si ob aliquas causas illum occidere impossibile est, et ex altera parte civibus periculum vitae adest, securitatem ope rebellionis quaerere ius naturale est. Haec doctrina in sequenti sententia clare exprimitur: „Quid autem si multi simul, contra Civitatis Potestatem Summam crimen aliquod commiserint capitale, propter quod, nisi se defendant, expectant mortem, quaeret aliquis utrum Libertatem illi conjunctis viribus se mutuo defendendi habeant. Habent certe. Nam vitas suas defendunt tantum; id quod et Innocenti et Nocenti aeque licet". [4]) Cum, sicut diximus, unicuique, si mortem timeat, contra illos pugnare liceat, et „si civitas venerit in potestatem hostium ita ut resisti eis non possit, intelligitur is qui prius summam habebat potestatem, eam iam amisisse", [5]) et omnium legum auctoritatem amplius non penes regem regno expulsum, sed penes illum esse qui hic et nunc summam potestatem habet: legum authoritas, ait Hobbesius, etsi antiquissimae sint, vim Legum, non a Consuetudine, sed a voluntate snmmae Potestatis p r a e s e n t i s habent", — [6]) manifestum est ergo non solum regem occidere ut hostem tum uniuscuiusque civis, tum civitatis, sed etiam seditionem concitare, dum spes vincendi adsit, omnibus licere. „Ad hanc spem necessario requiruntur quatuor, numerus,

[1]) Lev. c. 45, p 311 .

[2]) cf. Lev. c. 14, p. 70. Lev. c 21, pp. 108, 109. De Cive c. 2, a. 19, p. 15.

[3]) cf De Cive c. 12, a.:. p. 84.

[4]) Lev. c 21, p. 109.

[5]) De Cive c 7, a. 18, p. 59.

[6]) Lev. c. 26, p. 130.

instrumenta, mutua fiducia, et Duces . ." [1]) Immo seditiosi magni animi homines vocari possunt, quia ipsi a vexatione regis concives liberare conantur: „animi magni opus proprium est auxiliari, et a contemptu alios liberare". [2])

Nullus est philosophus XVII saeculi, qui, ut Hobbesius, tam ratione cives ad revolutionem praeparaverit, suam mentem modo aperte manifestando, modo defensione potestatis regiae eam obtendendo.

3. Via ad absolutismum democraticum irreligiosum.

Ex supradictis iam patet, Hobbesium fautorem potestatis absolutae et quidem democratiae esse. Sed sicut ad democratismum per potestatem absolutam regiam proceditur, ita et ad liberalismum religiosum eadem via. Quid de religione docuerit Hobbesius iam vidimus. Ea tantum commemoro: ad fidem unicus articulus necessarius est, i. e. „quod Jesus est Christus". [3]) Jesus Christus non est Deus — Homo, sed solum Dei personam gessit [4]) et fuit aliqua gratia excellenti ditatus; [5]) in mundum venit, „ut Deo Patri per Pactum novum, restitueret Regnum, quod a populo in Electione Sauli rejectum fuerat", [6]) „et qui vitam aeternam, quam perdideramus in Adamo, restitueret". [7]) Quid vero significet apud Hobbesium vita aeterna immortalitate animae humanae negata, [8]) iam vidimus. Ulterius: non datur Ecclesia Christi vera, apostolicalis, universalis, [9]) sed tot sunt Ecclesiae quot civitates, immo civitas christiana et Ecclesia identificantur; [10]) omnis potestas in spiritualibus derivatur a summa potestate civili; [11]) sacramenta proprie nulla sunt, baptismum etiam non est necessarium, quia est solummodo signum pro memoria sicut et „coena Domini", [12]) neque quemquam ab Ecclesia excomunicari possibile est. [13]) Tale est fundamentum religionis positivae Hobbesii. Sed ista religio duabus partibus constat: cultu et fide. [14]) Omittamus

---

[1]) De Cive c. 12, a. 11, p, 88.
[2]) Lev. c. 6, p. 29.
[3]) Lev. c. 43, p. 283. idib. c. 42, p. 235. ib. c. 47. pp. 326, 327.
[4]) Lev. c. 16, p. 81
[5]) cf. Lev. c. 34, p. 186.
[6]) Lev. c. 41, p. 228
[7]) Lev. e. 43. p. 283. cl. ib. c. 47, p. 326.
[8]) cf. Lev. c. 44. ,pp. 295, 299. idib. c. 38, p. 211. Phil. pr. c. 7, a. 9, p. 52.
[9]) cf. Lev. c. 39, p. 218.
[10]) cf. De Cive c. 17, a. 28, p 162. Lev. c. 42, p. 246.
[11]) cf. Lev. c. 42, p. 272 [12]) cl. De Cive c 17, a. 7. p. 143.
[13]) cf. Lev. c. 42, p. 240. [14]) cf. De Hom. c. 14, a. 1, p. 77.

quae dicta sunt de cultu rationali, et quae de fide docuerit commemoremus, nam fides est pars essentialis religionis et absque fide religio nulla possibilis est. Ex quatuor causis omnis religionis, [1]) secunda et quarta causa statim evanescunt, dummodo causarum secundarum cognitio adsit. Remanet metus spirituum et cultus eorum. Proinde omnia ad cognitionem, quid sit spiritus reducuntur. Et vidimus, spiritum, iuxta Hobbesium, esse corpus „utcunque tenus et insensibile" [2]) aliquid ex aére, qui spiritus est, [3]) „sive ventus quidam praeternaturalis". [4]) Hunc spiritum corporalem identificat Hobbesius cum Deo. Et vidimus ipsius, „Deum" — sive sit corpus aliquod ex aére vel ex alia materia, v. gr. ex aethere, qui est invisibilis,[5])—naturae conditorem esse, [6]) mundi causam, [7]) et demum ad motum aeternum, sive pirincipium constitutivum naturae universi,[8]) immo ad ipsam naturam universi reduci. Ab isto motu aeterno, sicut iam supra demonstratum est, procedunt alii motus, quorum diversae conjunctiones, influxus, variationes etc. in vita inorganica et organica, in sensitiva, intellectuali et spirituali diverso modo manifestantur. Metus huius principii universalis, motus, cuius natura incomprehensibilis est, aeterna, in omnibus praesens, invisibilis et tamen materialis, — quia motus absque eo quod movetur comprehendi nequit, est idem metus spirituum, sive metus potentiarum invisibilium, a quo Hobbesius religionem procedere dicit. Religio proinde cessat cessante metu, quod, philosophia Hobbesii ab omnibus integre acceptata, tandem fiet. Si igitur sumamus religionem in sensu hobbesiano, illa sententia ejus: „metus Potentiarum invisibilium .. Religio est", [9]) non repugnat. Hanc plebis ignorantiam, putat Hobbesius, quam maxime summis imperantibus profuisse, quia metus imperantis absque metu „religioso", ut ita dicam, insufficiens est ad oboedientiam civilem. [10]) „Fundatores.. Civitatum, et Legislatores gentium primi, quibus Populum in obedientia continere consilium erat, sedulo providerunt.. I. ut praecepta

[1]) cf. Lev. c. 12, p. 57.
[2]) Lev. c. 12, p. 56. ib. c. 8, p. 42., ib. c. 34, p. 186., ib. c. 45, p. 306.
[3]) App. ad Lev. c. I, p. 344.
[4]) Lev. c. 29, p. 155.
[5]) cf. De Hom. c. 10, a, 5 p. 61.
[6]) cf. Lev. c. 11, p. 54 cf. Probl. phys Ad Regem.
[7]) cf. De Cive c. 15, a. 14 p. 117.
[8]) Log. c. 5, p. 38.
[9]) Lev. c. 6, p. 28. cf. App. ad Lev. c. 3, p. 361.
[10]) cf. Lev. c. 14, p. 71.

religionis non ab ipsorum ingenio, sed ab alicujus Dei vel Daemonis dictamine Populus profecta esse crederent, vel seipsos melioris naturae homines esse quam caeteros eo fine, ut Leges suas libentius acciperent..2. ut crederent, quae Legibus vetita erant, eadem omnia Diis suis displicitura esse, 3. ut Ceremoniis rite accurateque peractis placari Deos, neglectis irritari crederent, adeoque Bellorum casus adversos, pestes, Terrae motus, singulariumque calamitates Cultui neglecto, aut Ceremoniae alicui praetermissae imputarent„.[1])

Ex dictis patet, futurum esse ut populus regibus oboedire recuset, se ipsum dirigat, immo ipsam religionem sibi per fraudem impositam, rejiciat. [2])

His positis inopinatum videtur ab Hobbesio tam vehementer in Dei negatores invehi, [3]) quod tamen modi loquendi ipsi proprii eius philosophiae et temporis ratione habita explicari potest. Cum Ecclesiam Catholicam maximum impedimentum suae doctrinae inferre sciret, ipsi infensus erat ipsamque intolerandam dicebat [3]). Horum quae diximus ratione habita concludere possumus: Primo: iuxta mentem Hobbesii, neminem esse cui in proprio sensu religio debeatur; secundo, populum immaturum, dum scilicet nescit causas secundarias effectuum, et dum metum alicuius potentiae invisibilis habet, a principibus regi debere donec excultus causas suae imprudentiae cognoscat, et religionis, a regibus sibi impositae fraudem perspiciat. Remoto autem metu potentiarum invisibilium, et populo exculto, religionem funditus tollendam esse, ratione propter quam regibus oboediatur deficiente.

At etiam ob alias causas perturbationem socialem et religiosam iuxta Hobbesium, fieri posse, populumque a quocunque metu liberatum et in democratia immoderata libertate fruentem, se ipsum dirigere posse, vidimus. Tertio, monarchiam ab ipso considerari solummodo ut optimus status intermedius et via ad liberalismum religiosum democratiae absolutae.

Ex hucusque dictis philosophiam Hobbesii falsis principiis niti patet, at ipsum dialectice procedere, totamque eius philosophiam sibi convenire, quidquid ab aliquibus philosophis eius doctrinae contrariis dicatur, infitiari nequit.

---

[1]) Lev. c. 12. p. 59—60.

[2]) Aliae causae quae religionem tollunt: vide: Lev. c. 12, p 60—1, Lev, c, 45. p. 311., De Cive c. c. 15, 16, 18.

[3]) Vide De Cive c. 18, a. 14, p. 172. Lev. c. 43, p. 284. ib. c. 45, pp. :309, 312 etc.

INDEX RERUM

QUAE IN HOC TRACTATU CONTINENTUR.

Finis.

CORRIGENDA.

Pag. 3	vers	1,	*post*:	Thomae Hobbesii	*lege*:	Mal-
„ „	„	17 supra,	*loco*:	Tonnies	*lege*:	Tönnies
„ 10	„	2 „	*loco*:	snbstantialis	*lege*:	substantialis
„ 17	„	9 „	*loco*:	consideran-	*lege*:	considerandum est, quomodo iuxta Hobbesium haec natura universalis, aeterna et divina varietur in omnibus rebus cum motuum varietate,
„ 18	„	5 „	*loco*:	mutuum... influxus	*lege*:	„mutuum...-influxus“
„ 28	„	11 infra,	*loco*:	feges	*lege*:	leges
„ 42	„	16 „	*loco*:	puae	*lege*:	quae
„ 47	„	5 „	*loco*:	egum	*lege*:	legum
„ 50	„	7 supra,	*loco*:	ortus ad	*lege*:	ortus ab
„ 58	„	17 „	*loco*:	estendendi	*lege*:	ostendendi
„ 80	„	3 „	*loco*:	fero	*lege*:	fere
„ 81	„	11 „	*loco*:	quam (4) diu)	*lege*:	quam (diu)
„ 87	„	5 „	*loco*:	snmmae	*lege*:	summae